DE TYBVRTINI AERIS
Salubritate Commentarius.

AVCTORE
THOMA DE NERIS
MEDICO.



ROMAE,
Apud Alexandrum Zannettum. 1622.
Cum facultate Superiorum.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiss. Pat. Mag. Sac. Pal. Apost.

P. Episc. de Curte Vicesg.

DE mandato Reuerendiss. P. Hyacinthi Petronij Sacri Palatij Magistri, Ego infrascriptus legi diligenter comentarium de Tyburtini Aeris salubritate Auctore Thoma de Neris, in eoque nihil inueni quod S. Rom. Eccl. aut bonis moribus repugnet, in cuius fidem hæc proprio chirographo scripsi, ac subscripsi. Hac die 27. Augusti 1621.

Ego Prosper Martianus Medicus Physicus, &c.

Imprimatur, Fr. Ignatius Ciantes Magister, & Socius Reuerendiss. Pat. Mag. Fr. Hyacinthi Petronij Sacri Apostolici Palatij, Ord. Prædic.



ILLVSTRISS. PRINCIPI
MARCO ANTONIO
GOZADINO
S.R.E. CARDINALI AMPLISS.
ET EPISCOPO TYBVRTINO.
AC S. D. N. GREGORII XV.
CONSOBRINO.

THOMAS DE NERIS
Tyburtinus. S.P.D.

SVperioribus diebus æstiuis (Illustriss. ac Reuerendiss. Princeps) horis quasi succissiuis, hoc de clementissima Tyburtini aëris salubritate opusculum, elucubraui: supprimendumq; esse præ ingenij mei tenuitate duxeram; Cum illud neq; sapientum aspectu, nec Romana au-

la dignum existimarem: Nō nullorum autem amicorum hortatu, & edere decreui, & tuo Illustrissimo volui nomini nuncupare; nō solum quia cum sublimi ista tua dignitate, qua mirificè præfulges, cum sis etiam sanguinis vinculo S. D. N. Gregorio XV. coniunctus, summa est demum tibi innata probitas, æquitas, atque religio, quarum exemplo virtutum Christianam Rempub. iuuisti semper, & quotidie iuuas; verum etiam quia vsq; adeo summa es vniuersarum rerum gloria insignitus, vt tamquam virtutum cunctarum exēplar potius admirandus, quam imitandus esse videaris. Tanta vero & tam eximia est in te bene-

ficen-

ficentia, ac morum dexteritas, qua omnium tibi gratiam cõcilias, qua studiosos summopere amas, foues, atq; complecteris, vt maiori ne sapientia, an humanitate sis decoratus non facilè sit iudicare. Ego sanè cuilibet impar meritis, nemini non secundus dignitate, cæteris tamen hac vna incipiam esse beatior, ditiorq; inopia, quod tibi vni Card. Amplißs. in hisce pangendis lucubrationibus mea semper desudauit industria. Nimirum quãdo illæ persequuntur nostri aeris saluberrimam amoenitatẽ, nullo argumento, quam ingenij mei sterilitate minus propitio ipsas tibi iure suo vindicabat; cum Tyburis Pastoralis isthæc dignitas, qua Solis

instar clementissimos Coeli aspè-ctus, & retardare potes, & admouere, tum assiduum de bonis benè merendi studium, quo singulis facilitate gratissimus nulli non es præstantissimus largitate, tum vero mea non vulgaris obseruantia erga illustrissimã istam Gozadinæ gentis purpuram. ergo ingenij tibi mei fructus primi, prima libamina debebantur, tu illa tuo nomine protegi, foueriq; grauatè ne feras, & quoniam nec tuæ amplitudo fortunæ restituẽdi vicem poscit, nec meæ tenuitas remunerandi suggerit facultatem; Hũc certe nostri in te animi perpetuum veluti testem, atq; obsidẽ habeto. Valè. Romæ. Idibus Ianuarij 1622.

LEVI-

LEVINI HIELII

ELEGIA

in gratiam Auctoris.



NERVS init patrias cliuosi Tyburis arces.
Ite, triumphales nectite serta Deæ. (phos
Ne vaga Cæsareos memoret iā Fama trium
Neu sua pugnaces Gloria iactet auos.
Munera damnoso sunt hæc exempta duello:
Diffluit alterno sanguine parta quies.
Scilicet his Mundi fuerat complenda ruinis
In cineres olim Roma abitura suos.
Nunc pax, & placido micuit victoria bello:
Nunc iuuat indomitæ rūpere mortis iter.
Par erat, & pestis scelerosū abstergere virus,
Dum salit in dubias febris iniqua notas.
Seu clandestino quatiens præcordia pulsu,
Supposuit vigiles irrequieta faces:
Seu male tabētes sensim populata medullas,
Deuouet Elysiæ languida membra neci.
Hæc fuerant: spolijs, & clade decorus opima
Nūc redit, & noto in Tybure Nerus ouat.
Cernere virgato liuentes tergore morbos
Fas erit, & positis vultibus ire lues.
Quā multos olim faciles meminere Quirites

Ire triumphales Consulis ante rotas.
Ilicet aestiuae contagia tetra diei,
Damna pruinosae cernere noctis erit,
Et resides Coeli flammas, Libraeque nocentis
Crimina, & imbriferi plumbea tela Noti.
Ille tamen Lycia perplexus Daphnide crinē
Excipiet plausus Tybur ab axe tuos.
Saepius ad strepitū, populiq. à laude gementes
Cernet Apollineos ire retrorsus equos.
Saepius & patriae repetet vestigia terrae,
Et permansuri fornicis acta leget.
Nō bene marmoreo tua gloria cingitur arcu,
Quem regit Oebaliis caesa columna iugis.
Nec tua fusilibus satiatur fama metallis,
Exiguoue suas aere perennat opes:
Sed tibi per memores aeternant secula fastos
Munera, non vllis diripienda dolis.
Tale per Oenotrios, & aquosi ad Tybridis vr
Mirum Paeoniae digeris artis opus. (bem:
Etiam composito surgit tibi machina textu,
Et picturato stemmata fulta tholo.
Cernimus irriguo turgentia marmora cāpo,
Prataque muscosis asperiora vadis,
Et iuga Dircaeo dudum placitura colono,
Et posita artifici moenia prima manu,
Saucia mentito modo quae tenebrescit hiatu.
Foecundo reparat vulnere damna silex.
Sic & inexhausta lapides fornace liquescūt.
Putris & in gelido cortice gleba riget.
Aureus Eois praesudat roribus aër:
Grataque ab Occiduo purpurat aura die.

Alla-

Allapsu pluuiæ cum vix risere salubri,
Versicolor dociles arcuat imber aquas.
Temperat ignitos hinc pensilis vua racemos,
Guttaque nectareo sollicitanda lacu.
Prodigiosa nouo vernant violaria fœtu
Semper, & iniussis spina cruenta rosis.
Pinguia squamosos non hic armẽta colubros,
Nec timet indigenas rustica turba feras.
Tuta sed in segetes, & fertile vimen Oliuæ
Conducit mites obsequiosa manus.
Cerne, colorato deuexus margine riuus
Vt viridem innocuo sulfure lãbit humũ.
Ille metallifero trepidans à fonte, cauernas
Perforat: & medica voluitur auctus ope.
Forsitan attactu tenerum depascitur aurũ:
Soluitur & fuluo diues arena gelu.
Vna tamẽ docet hæc omnes iustissima tellus,
Visceribus parcens officiosa suis. (rum.
Parce, licet: miserũ tenebris bene creditur au
Aurum ni quæras omnia Tybar habes.
Id GOZADINVS *te maximus ore Sacerdos,*
Augustis etiam moribus ille monet.
Olli nimirum pietas pretiosior auro est,
Et nihil innata relligione prius. (nos,
Vna illi hæc primos potuit comes ire per an-
Cum tener antiquos luderet ante Lares.
Vna etiam iuuenẽ spinosum ascẽdere cliuũ
Impulit è biuij calle secuta comes.
Hinc chorus æqualis, virtutũ nomina mille,
Mille viri sensus excoluere Deæ.
Hinc & coccineo radiata modestia fuco:

Et

Et quam vestis obit concolor alba Fides:
Quaeq. repercußa congaudet imagine vitri:
Quaeq. pharetratas negligit vsq. minas:
Quaeq. voluptatem, motusq. refraenat inertes:
Quaeq. suo quoduis pondere librat opus.
Felsina, te primum testor: cui luxit ab aui
Flore puer claros aemulus inter auos.
Vos Romae cineres, vos ò Capitolia, testor,
Claustraq. Tarpeijs non bene iũcta iugis.
O nimis optato felicia tempora cursu,
Cum daret Oenotrio iura Latina foro.
Scilicet hac Caeli conscẽditur arte cacumen:
Hac Latios inter purpurat ille patres.
Hanc te Romulea primum suffectus ab arce
Pastor, vt edoceat talia iussa monet.
Parce salutiferis aurũ bene conditur antris:
Aurum ni quaeras omnia Tybur habes.
Qualia iussa decent delapsũ à sede magistrũ
Aetherea, patrem qualia iußa decent.
Qualia & agnati monuit Sapientia Neri,
Dum subit aethereas nota per astra vias.
Dum patriam viuo nouit clarare triumpho
Dum Tyburtino supplicat vna Ioui.

TYBVRTIS

COELI LAVDES

incerti Auctoris.

INcedit algens Anio quà præceps gradu ,
Amœniori consitum mundi loco ,
O Latia Tempe, Tybur, & clarum iubar ,
Beata tellus, orbis ò felix plaga ,
Cœlo sereno spiritum purum trahis .
Baiarum amœnum littus, & Gauri decus ,
Pindi recessus Tyburi musis sacri ,
Odora cedant rura vernanti thymo
Felicis Hyblæ: quidquid immensus sinu
Orbis capaci continet, quidquid mare ,
Vbiq. quidquid optimum, quidquid bonum,
Telluris arces, ambitu Tybur breui :
Semperque amico sydere, & cœlo fruens
Auram salubrem carpis: & quando furens
Ardore phœbus incubat terris graui ,
Austerque perflat turbidus mundo nocens ,
Siccatque latè flumina accensus vapor ;
Cursu perenni fontium dulces aquæ ,
Syluæ virentes arborum densis comis ,
Semper tuorum collium florens viror
Tibi decorem veris æterni ferunt .
Miraris hospes veris æterni domum ?
Mentis stupores amoue, huic Cœlum fauet .

I N-

INDEX RERVM
NOTABILIVM,
Quæ in hoc Commentario continentur.



Aer

Fons

Olei

V

FINIS.


BIBLIOTECA NAZIONALE
V. EMANUELE III NA.

THOMÆ DE NERIS TYBVRTINI.

DE TYBVRTINI AERIS SALVBRITATE.

Commentarius.

Quomodo Aer consideretur à Medico. Cap. I.

POST varias, ac ægregias, inter primates, antiquosq; Philosophos de rerum primordijs, vocatis Elementis, disceptationes. Quatuor prima illa, esse corpora, ex quibus cuncta hæc inferiora, & sublunaria, componantur, statutum, determinatumq; esse inficiabitur nemo, & illa statutis nominibus à qualitatibus eorum vocare, Antiquiores consueuere. Ignem, Aerem, Aquam, & Terram. Quorum natura à Medico, Philosopho, est diligentissimè consideranda; at-

que examinanda. Cum ex iſtis omnia mixta conflentur; ſicuti veriſsimis rationibus probauit. Ariſtot. lib. 1. de Generat. & corrupt. tex. 16. & 1. de Partibus Animalium. Immò & quamlibet elementorum naturam ſeparatam, & ſeiunctam inter ſe ponderare, diſquirereq; debet Medicus, vt adnotauit Fernel. lib. 2. de Naturali parte Medicinæ cap. 4. At cum Aer primum locum ab Igne obtinuerit; Ariſt. tex. lib. 4. de Cœlo 36. Sitq; vnum ex quatuor elementis maximi momenti; ideo per ſe primario erit perpendendus, conſiderandusq; quam notitiam apprimè neceſſariam eſſe, non ſolum Medicis, verum etiam omnibus hominibus vtillimam, experientia ſæpè docuit, cum nihil ſit in ipſa rerum natura tanti momẽti, quam Aer, quem velimus, nolimus, aſſiduè inſpiramus; quo cuncta animantia ex parte nutriuntur. Quandoque enim Hipp. lib. de flatibus dicebat. Triplex eſſe animantium nutrimentum, Cibum, Potum, & ſpiritum. Sed ſpiritus iſte, nil aliud eſt; quam aer inſpiratus, vapori ſanguinis admixtus; vt notauit Gal.

lib.

lib. 11. Meth. cap. 3. Qui cum oriatur, à corde texte eodem de vtilitate reſpirat: alimentum cenſetur, ab Hipp. lib. de Alimento circa ſinem, ac propterea ſignificauit, lib. de flatibus. ſolo ſpiritu, plures dies animal viuere poſſe, ad quod corroborandum innumere adſunt hiſtoriæ, tàm in ſacris, quàm in profanis litteris, ſed vnam tantũ, quę Tyburi anno 1583. contigit enarrabo. Ex qua Aeris bona temperies eluceſcet. Foſſor quidam Tyburtinus, dum ſubterraneum aquæ ductum effoderet, repentino terræ hiatu, quem copia imbrium effecerat, ruente terra, viuus ſepultus eſt. Sed tantus in eo fuit animi vigor, (vti propium eſt habitantium iſtius Aeris) vt manibus, pedibus, capite, dorſoq; circum iacentem terram eſcauauerit, & die tandem ſeptimo, ab illa atroci, & inopinata ſepultura, ſine vllo cibo, & potu ſumpto, incolumis emerſerit: ex qua hiſtoria, & caſu videtur deſtrui problema illud. Ariſt. 13. ſect. 1. in quo aſſerit. Aerem nullum præbere alimentum; ſed obiter reſpondetur, cum nulla elementa pura ſint, apta nutritio-

ni; de quibus locutus eſt Ariſt.cum mixta omnia ſint apud nos,& componantur; ex quatuor elementis, coniunctim, ſeu potius,ex ipſorum qualitatibus,vt Ariſt. lib. 2. de generat. & interit. ex Platonis ſententia docuit. Conſideratur imprimis Aer, à medico. Quatenus eſt alimentum corporis humani, quoniam ex ipſo inſtaurantur ſpiritus, qui conſumpti ſunt,vt Gal.7. de vſu partium; & lib. de vtilitate reſpirationis,necnon Fernel. lib. 1. de diff. Morb. cap. 13. probauit, quam ſententiam mutuatus eſt ab Hipp. effuſum nobis aerem, ſanguine præditorum animantium, natiuo calori, & ſpiritui, tum conueniens, pabulum, tum refrigerationem præſtare, at propterea idē Hipp. tria eſſe dixit, quæ corpora,hominum,& animalium cunctorum ſuſtentāt: ſpiritum, ventum & Aerem.

Sed,quemadmodum alia elementa, à Medico, Philoſopho perpenduntur, ita Aer. cum corpus humanum, per aliquod temporis ſpatium, ſine alijs tribus elementis, vitam trahere poſſit,ſine Aere vero ne minimum quidem horę quadrā-

tem,vt ex Hipp.& Fernelij auctoritate dicebatur. Longe vtilior ergo eſt; aeris quam aliorum elementorum conſideratio: Ac propterea ſtudere debet Medicus aeris electioni; quoniam eſt cauſa potentiſsima ſanitatis, & morborũ, tam qui ſunt Patrij, quos Græci ενδημοὶ quã aduentij,quos ἐπιδημοῦς appellãt,& ſic cõſideratur,ab Hipp.in lib.de Aere,Aquis, & Locis. ſagaciſsimus itaque debet eſſe medicus,ad cognoſcendam Aeris,& Locorum atque Ciuitatum naturam, in quibus malus,vel bonus ſit aer;cum grauitas aeris ſit efficaciſsima cauſa, morborum vulgariũ aſſerente ipſomet Hipp. variis in locis, vti in lib. de Natura humana,& Galen.in com.1.de Morb.vulg. quibus aſtipulatur Auic. 1. quarti tract. pariter quarto cap.1.dum febres peſtilẽtes,ab aere turbido, & humido fieri dixit,Auezoar.lib.3.tract.tertio,à calidiori humidioriq; aere peſtem ortum habere aſſeruit: vnde protulit; quod deterior aer eſt calidus,& humidus,& qui ad recipiendas corruptiones, ac putredines aptior eſt, quàm ſi alias poſſideret qua-

litates, quod antea cognouerat Hipp. 2. de morbis vulg. initio. His præmissis de Aere in communi. Modo meę partes, esse videntur aliquid breuiter de Aere Tyburtino scribere, vt voluntati meæ, & amicorum satisfaciam; quamuis magnam suscepisse prouinciam mihi videatur, cum nemo hactenus, quoad sciam de proprio Tyburis aere, ac situ scripsisse reperiatur, cum arduum minus sit, communia nosse, quam particularia, ac propria; ita vt quod facilius est, ab antiquis scriptum inuenitur, quod autem difficilius nobis relinquitur. De qua re nemo Medicus disserere potuerit, nisi Astrorum ortum, & occasum, eorum scilicet quæ in Aere, & hominibus mutationes magnas, & ingentes efficere solent; vti Caniculæ, Arcturi, Vergiliarum, tum etiã Aequinoctiorum, & Solstitiorum, stata tempora penitus considerauerit. Aeris nos ambientis statum, mutationes, tempestates, Aquarum vim, locorumq. in quibus morbi populariter grassantur; naturam, omnem situm, peculiares ventos incolarumq. victum, exactè pernouerit.

Quæ

Quæ omnia à me breuiter in ſuis proprijs capitulis erunt examinanda: ex quibus deducemus; Aerem Tyburtinæ Ciuitatis, vel eſſe inſalubrem, vel ſalubrem, & quamuis certo ſciam, quod non deerunt maleuoli, qui me carpent, ſed ſcito velim, id in gratiam amicorum non maleuolorum ſcribere propoſuerim; hoc tamen illis ſit notum, magis dignum eſſe, viro ingenuo calumnias negligere, quã à re vtili ob illorum metum deſiſtere; vt ad Archytam ſcripſit Plato, non ſibi ſoli ſe natum homo meminerit; ſed Patrię, ſed ſuis, vt Cicer. 2. de Finibus, vulgatum eſt, neque ſolem, neque aerem, neque aquam, neque ignem, magis vtilem eſſe hominibus, quam amicos. Sed demum ingenij philoſophici eſt (quemadmodum periti medici ex beſtijs, ac ſerpentibus noxis, vtilia quædam remedia colligunt) ita ex inimicorum odio, aliquid decerpere, quod vertatur in patriæ bonum; conabor extrahere.

De Tyburis situ, & Cœli Clymate. *Cap. II.*

SIngulorum locorum, situm,& naturam cognoscendam esse ; Secundo de victus ratione adnotauit Hipp.& alijs in locis.Ciuitatẽ,enim Tyburtinã,in primis,scire est,esse antiquissimã,vt testatur Plinius, necnon etiam Horatius Flaccus Poeta, lib.2.Ode 6. inquiens *Tybur, Argeo, positum colono*. istam Ciuitatem, longè antiquiorem esse ipsa Roma,ex ipsorum conditoribus constat, vt recenset Solinus cap. 8. & circiter annos 432. ædificatam, priusquam Roma esset, id insuper testatur Artimandes de Mundi Cronologia; & sub alio appellabatur nomine, Siculetum, teste Plinio,distans decem, & septem milliaria ab Vrbe, ideo paruam,aut nullam differentiam recipit, circa clyma Romanum, vt Astrologi censent, nã ea sub clymate quinto ab æquinoctiali circulo sumpto dimentionis initio sita est, & 42. gradibus ab æquinoctiali,versus Arcturum distat, vt perbel-

le

le Marſilius Cagnatus præceptor meus, vir nunquam ſatis laudatus, demonſtrationem affert; in ſuo de aeris Romani comentario, in quo aſſerit, atq. demonſtrat. Romam eſſe in medio Italiæ, vt Strabo lib. 6. nec non etiam Victrurius, lib. 6. cap. 1. hoc affirmarunt, Romam videlicet, in medio Italiæ poſitã eſſe. Ideoque bonam, vel malam aeris temperiem, dignoſci ex frigore, & calore; & ijs quæ inter hæc media ſunt. Idcirco Italiam commendant, quoniam inter ſummè contraria media eſt; cum hæc inquam Strabo dixerit paradoxum non erit, ſi nos de Tybure dicemus; cum parum ab Vrbe diſtet quæ eſt medium Italiæ, ſi Cagnato credimus, & Vitrurio, igitur Tyburtina ciuitas, nullam recipere circa clyma differentiam videtur, niſi quod in monte poſita eſt, ad occidentalem aſpectum, vſque ad Thyrenum mare ſine montibus; ſed planities iucundiſsima, ab oriente eſt cooperta montibus, necnon etiam à meridie & ſeptentrione; quamuis non ita ſit cooperta, quemadmodum eſt ab oriente: quæ ab illis montibus, qui Alpes vocan-
tur,

tur (totam penè Italiam circumdantes) est etiam, & ista Ciuitas ab oriente circumdata; per mediam fere ciuitatem, Anio fluuius limpidissimus, frigidissimusq; rapit. Omnes ferè venti, in istam Ciuitatem perflant, instar rapidissimarum aquarum per angustum canalem irruentium; vt flaccus Poeta lib. 1. epist. 8. *Romæ Tybur amem ventosus : Tybure Romam*. sed præ cæteris potentissimus est Boreas. Ideo frigidam, & siccam reddit ciuitatem, & ipsius aerem, cum insita, ac propria qualitas aeris sit caliditas, & humiditas; auctore Arist. 2. de generat. & corrupt. tex. 16. Qua de re, cum vẽti sint potissimum causa, boni, vel mali aeris, vt habetur apud Hipp. multis in locis, sed prçcipuè in lib. de aere: aquis, & locis. Idcircò cum venti boreales, maximè in ista Ciuitate inflent, faciunt constitutionem aeris frigidam, & siccam. Sed magis frigidam, quam siccam: Cum frigidus, & siccus sit boreas, omnesq. corporis consumat superfluitates: Gal. com. 17. Aph. tertia sect. tertiæ. Ideo hyemis tempore, intensum mane, & vesperi, percipitur

frigus;

frigus; in meridie vero, cum ciuitas exposita sit radijs solaribus, & illorum reflexum ex montibus recipiat, satis temperatus est aer. Nox autem frigidissima est; Autumnus similis est hyemi; vel parum dissimilis. Aestas non est admodum calida; cum fere semper Aetesiæ spirent; reddantq; aerem quoq; pacto frigidiorem, alioquin in meridie maximus, perci peretur calor, vti percipitur quando non spirant; qua de re æstas semper est verisimilis . quod temperatissimum est: Obijciet fortasse mihi aliquis, Aetesias esse ventos, solummodo Græciæ ori peculiares; & flare post canis ortum. Si quidem patet à septentrionibus exortas esse, non veluti Aquilones; ab vrsa versus meridiem deferri . Cum nimirum ab vrsa (Quod lib. 2. Meteol. docuit Arist.) recta ad occasum, & rursus ab occasu ad orientem cursus dirigant. Quare ætesiarum flatus non est à Septentrione in meridiem; quinimo postquam à septentrione in occasum diferũtur, non vltra versus meridiem extenduntur: Sed ab occasu vna cum fauonijs in orientem con-

conuersæ, totam terræ latitudinem complent. Si quis vero ex eo ætesias ventos Græciæ solius peculiares putet. (Quod ab Hipp. in lib. Epid. sæpius veluti insigne salubritatis futurę indicium adnotatum est ætesias maximè per æstatem spirantes;) Is lõge falli videtur, cum non modo Gręciam, atque Italiam, sed Asiã, & Africam perflare hos vẽtos constat, & ista sint obiter dicta; Redeo ad rem vnde discessi Quamuis variæ frigoris mutationes in isto aere; in dies obseruenrur, nil tamen noxium habitatoribus afferri videtur, cum ex obseruationibus Ioannis Vincentij Columnæ Physici Tyburtini auunculi mei, per multos annos factis, dum in Tyburtino cœlo magno, cum honore medicinam faciebat, mihi notum sit, necnon etiam Andreæ Bacci viri nostro æuo, eruditissimi, qui quandoq; Tyburi medicinalia præscribebat præcepta; Quod enim vlterius experiẽtia quotidiana comprobatur. Cum visum sit, superioribus annis, per oppida & ciuitates conuicinas, febres putridas, & malignas grassari; Tyburi autem non solum, non

ad-

adsuere, febres mali moris, sed potius salubriores; quæ cito, & tute terminabantur, quod etiam fuit per multos annos, ab alijs medicis obseruatum, præter quam, quod. Anno 1591. & anno sequenti, quibus annis; quidam morbus epidemicus, ita in tota pene Italia vagabatur, vt innumeras gentes, e medio tolleret, atque deleret. Tyburi autem minus mali fecit. quam alijs conuicinis locis. Cum aer Tyburis, non sit, semper eiusdem, qualitatis vt videre sit. Aer enim prorsus immobilis ratione prauæ qualitatis, inimicus est, viuentibus corporibus, ad sanitatemque tuendam. at cum omnia corpora calida, & humida, facilè putrescere possint, scilicet si in locis calidis sita sint, Gal. vero de Tumoribus præter naturam cap. 2. Auicenna lib. 1. sen. 2. doctrina quarta: *Humida, & calida aeris, complexio, dignior est, vt conuertatur, ad putrefactionem*: quod non accidit cœlo Tyburtino, cum contrariam habeat qualitatem; & ciuitas sita sit in monte. vt videbimus. immo loco eodem citato Auicenna. Mutationes (ait) aeris plurimum

mum accidere,in locis diuersorum situū, & profunditatibus vallium. sed in altis paucæ existunt, & multo purior est aer montium,aere conuallium,& planicierū. At si morbus ille qui elapsis annis serpebat, ex aere originem duxisset, vt optimè à doctissimo Cagnato, scriptis traditum est,in lib. inscriptis, *Romana Epidemia*, adiuncta semper tamen fuit mala ciborum natura;Et si hæc nō fuisset propria,& principalis causa, sed ipsemet aer coinquinatus;vbi diligenter est animaduertendum; Pestem aliquando viguisse, ex aeris quidem putredine, sed non ipsa aeris substantia putruit vnquam, ipsius certè qualitates, aliquando alicubi putruerunt. Nam quæ putrescunt, superfluam qualitatem habere necessarium est. quare cum humiditatem in summo possideat aer, vt 2. de Generat. tex. 23. habetq; in primarum qualitatum partitione putrescere posse non videtur, cum quæ putrescunt, caliditate extranea, & humiditate superflua putrescere debeāt, vt 4.Metheol.notatum fuit. Idcirco cum maiorem habere non possit humiditatem

ipse-

psemet aer, (nam tunc ipsam in summo
iō haberet) putredini obnoxius nullo pa
to esse videtur, & hoc est illud, Aristot.
ect.25.Poble.20. Neque ignem, neque
erem vnquam putrescere posse; quod si
liquādo aer ipse putruisset, Cunctarum
nimantium genus interijsset. Quippè
orruptio, seu putrefactio, est passio re-
um compositarum Arist. 4.Metheol.sed
er est corpus simplex, & elementum;
go non videtur posse putrescere. Cui
biectioni breuiter respondetur. Quod
er dupliciter à Medicis, & Phylosophis
onsideratur, vel vt corpus purum, & sim
ex, vel vt mixtum, & impurum, qualis
t aer nos ambiens. ille enim non cor-
mpitur, cum non ambiat nos; iste au-
m dico, quod corruptioni subiacet, &
trescit secundum eius accidentia. Aer
im corrumpitur, quia ipsi aliqua hu-
ditas permiscetur superflua, & hęc hu-
ditas aeris, duabus modis dicitur su-
rflua; in primis, quia ei non competit;
m non sit elaborata, & subtilis: id est
materia pura, fimpliciq; fundata, vt ex
a purum, simplexq; elementnm fieri
possit,

possit. vnde posito, quod non addat, aliquid in gradu humiditatis, addit tamen in gradu corporeitatis; quia densioris corporis efficitur. Secundo modo dicitur superflua; quia per putredinem acquisitam, maiorem gradum humiditatis retinet: nam humiditas; quæ dicitur, esse in summo, in aere; est humiditas naturalis, dicta autem est innaturalis. Vnde humiditate, non naturali excedere naturalem, dicimus, & hæc de aeris corruptione, de qua fusius Auicen. lib. 1. fen. 2. cap. 9. & Gal. sępius, & quamuis victus etiam possit esse potentissima causa, quod diutius ille morbus contagiosus durasset, ex quo homines, tunc temporis nutriebantur. Cum vniuersalis caritas in tota pene Italia esset: Nam vbi præinopia homines coguntur ædere herbas, radices, legumina, redduntur, prompti febribus contagiosis, vt refert Gal. lib. 1. de cibis boni, vel mali succi. Sed cum Tyburtini coloni, in sereno frigido, lucido, sicco aere; vitam trahant, non in turbido, humido, qui est potentissima causa febrium pestilentiũ, vt ex Auicen.

loco

loco ſæpius in præcedenti capite citato docuimus, & cum optimis etiam cibis ſemper veſcantur, vt Infra dicemus, non ita facilè à morbis contagioſis, & mali moris affliguntur; quemadmodũ in alijs ciuitatibus, & aere illarũ, quæ non habẽt has cęli dotes, in quibus locis, forſan cibaria ſunt flaccida, & parum apta bonæ nutritioni. Ex dictis ſatis cõſtat, cũ Hipp. quoque ſententia vitioſum aerem inſpiratum corporiq; commixtum popularis morbi cauſam eſſe, atque non ſolum huius, ſed & alterius, qui ex deprauato victu prouenit; vt Gal. coment. in lib. 1. de Morb. Morbos dicit, vel fieri ab aere ambiente, vel ab aqua, vel ab aliqua alia communi cauſa; & ij in Græcis vocantur ἐπιδήμια, vel à victus ratione, ij σποράδες, ideſt diſperſi, quod tamen difficulratem in ſe maximam habet. Nam id pugnare videtur, cum eo, quod ab ipſomet dictum eſt, lib. de natura humana, cũ alios morbos à victus ratione, alios à ſpiritu quem attrhaimus prouenire affirmauit; niſi quis dicat illorum morborum, qui à deprauato victu fiũt, ita aerẽ cauſam eſ-

se, non vt effectricē morborum causā, vt dicebam superius, Sed effectrix causa est deprauatus victus, non aer vitiosus, qui est causa nempe morbos fouens, & veluti amplificans; nam si ex vna deprauata victus ratione, vitiosus aer in corpus sese insinuauerit, multo grauiores, & deteriores morbi erunt qui vagabuntur, quam è contra, & hęc pauca de situ, & aeris qualitate, in sequentibus vero aliqua, vti occasio sese prębuerit dicentur.

De salubritate Aeris Tyburis. Cap. III.

AEris tranquillitatem, ac bonitatem fieri, aut à frigore qui exhalationem extinguat, aut ab ęstu, qui eam consumat; refert Arist. 2. Metheol. quod proprium in Tyburtino aere accidere videtur, cum venti Boreales spirent, qui sua natura frigidi sunt, & per loca frigida pertranseant, & flare incipiant à polis mundi, estque expressa Hipp. sententia lib. de aere locis, &c. vbi ait, *homines*

qui

qui regiones illas incolunt , quæ ventis frigidis, & borealibus præsertim sunt expositæ, robusti , sani , & bene valentes erunt. sed vbi venti frigidi spirāt,ibi sunt huiusmodi homines,ergo per consequēs optimus esse debet aer; aer enim nos ambiēs,naturas nostras assiduè mutat, sicuti dicebat Orib.lib.6. cap.23. Paul.lib.2. cap.34.Gal.lib.10.Method.cap. 8.

Cęterum cum aer elementum quoddam sit, quod hominum corpora ambit, locus ipsorum est, quare ea conseruare debet, id autem duobus modis facit, videlicet corpora cum suis qualitatibus fouet , & cum respiratione innatum eorum calorem ventilat , & auget ; illumque à fuliginosis,excrementis expurgat,ac spiritus qui continuo consumuntur instaurat,vti in lib.de vsu respirationis Galen. docet. hos autem omnes vsus , purus aer optimè pręstat,vt primo de san. tuenda , & Orib.lib.1. simpto.cap.24.testatur,immo Fernel. disertissimis verbis lib. 1. de diff.morb.cap.13.conatur demonstrare. Tanta quidem vis est aeris , per cuncta rerum meatelis. huius autem quam cę-

terorum vis maior, & efficacior ad morbos infligendos est,imo plures temporũ, tẽpestatumq; mutationes, aut ex salubri loco in grauem transitus, aut exorta intemperies, à quibusuis aeris inquinamentis,magis ab hoc regũtur quam victus ratione Aeris deniq; tanta vis est, vt salus vitæ, atque morborum auctor censeatur. Hipp.vero lib.de flatibus testatus fuit,solo aere inspirato,plures dies sine cibo, & potu quempiam viuere posse; vti nos ex allata Tyburtina historia, superius dicebamus,licet Arist. sect.1. Probl.13. contrarium velit; sed de hac re longè disputat. Marsilius Cagnàtus lib.1. de sanitat. tuenda, cap.3. Illum aerem denique purum,ac bonum voco, cui vapores crassi, turbidi,caliginosi,putridi,vel pestilentes admixti non sunt. Nam si vapores clari tenues,sicci,ac bene olentes,aeri admixti fuerint, ipse quoque purus dicetur, & hæc est doctrina Hippocratis, necnon etiam, Fernelij lib.1. de diff.morb. c.cit. Aer enim crassus, durus, caliginosus, & aliena permixtione inquinatus, spiritus obscurat. Sed vbi venti spirant boreales

les, vapores tetri, & caliginosi esse non possunt, vt Hipp. 2. de ratione victus asserit: omnes ventos vim habere refrigerandi, & humectandi, non solum corpora animantium, verum etiã omnia, quæ extra terram fiunt, quod hac ratione probatur, omnes venti fiunt ex niue, glacie, cristallo, lacubus, paludibus, fluuijs, terra humectata; quæ omnia sunt corpora frigida, & humida; ventus igitur ex materia frigida fit. Quare necesse est ventos, quoque frigidos, & humidos esse. Ideoq; frigefacere, & humectare. Aliqui veterum, vt Homerus, & alij. Quatuor tantum ponebant ventos. Notum, Boreã, Zephirũ, Eurumq. qui etiam Subsolanus vocatur. Hipp. duorum tantum meminit, Noti, & Boreæ. *Sed non est inferendum simpliciter* duos tantum statuisse ventos, cum in Epidemijs meminerit etiam *Zephyris*, & aliorum de quibus tu ibi. Porro Auster. Latinis, νότος græcis vocatur, quia fere nebulosus, & humidus est, auctore Gellio, vnde qui de hoc vento scripserunt, omnes esse humidum, & calidum existimarunt: sed Gal. teste duplex est, medi-

cis Auſter, vnus ſimpliciter dictus, qui calidus eſt, & humidus, nebuloſus, pluuius, aliquando mollis, & aliquando vehemēs, alter de quo Hipp. in Epid. qui dicitur Leuconotus, ſiccus, quia purum facit cœlum; fere ſine pluuijs eſt, vnde Ariſt. in problematibus, ἄνοδρον vocat, non quod vllo modo ſit humidus; ſed quia minus habet humidi, quam ſiccitatis, & præter quam quod ſiccus eſt, aliquando etiã frigidus, vt 1. Epid. verum in huiuſmodi Auſtris, ſicut, & in alijs ventis, non ſolum conſideranda illorum natura eſt. Sed etiam quomodo ſe habeant ad regionem in qua aliquis vitam agit; & hac in re lectorem monitum vellem; vt ſi altius Vētorum vires intelligere cupiat, Philoſophos adeat, pręſertim Ariſt. 2. Metheol. Teoph. in lib. de ventis, Senec. in quæſt. natural. & Hipp. in lib. de victus ratio: 2. nam vis mei ſermonis non fuit munus agere de ventis: ſed hoc volui tantum ſignificare, vt pernoſcatur etiam ventos corpora animantium mutare poſſe; vti & aerem, qui medio ſuarum qualitatum hoc præſtat. Sed quanã ratione aeris ali-

cuius

cuius ciuitatis exactius salubritas cogno scetur. Ex ijs vero quę possunt colligi ab Hipp. lib. de aere locis, & c. Primo à situ eius loci, vbi ciuitas sita est; at ciuitas Tyburtina (vt notat Columella, & nos superius, vbi de situ) posita est in celso colle, adeo vt vapores, & fumi, qui è terra inferiori attolluntur, antequam ad illam perueniant; resoluti, vel saltem attenuati, & clarificati sunt. Secundo quia venti in Tyburtina Ciuitate non extinguuntur, Sed optimum, aptumq; ab vtraq; parte transitum habent; nec nubes continuo præsunt, cum frugibus, herbis, oliuis, arboribus odoriferis, vt Stirace cœlum illud abundundet; Tertio à lacubus, paludibus, stagnis, antris, specubus, à quibus putridi, ac nebulosi fumi exhalant; ciuitas est remota; quamuis versus occidentem, tria millia passum ab ipsa ciuitate, aliqui parui lacus sint; ex quibus nunquam putridi flatus ascendunt, cum illorum aquæ bonæ quoque pacto sint, & non prauæ, in quo etiam loco, videlicet in planitie amœnissima, oritur aqua Albula, vel Sulphurea vocata, ex qua cũ

venti occidentales ſpirent; aliqui vapores ſulphurei, ad ciuitatem aſcendunt, qui potius à malis inquinamentis aerem pùrgarent, ſi opus eſſet, quam malam vllam qualitatem relinquerent, cum paruo temporis ſpatio, dicti vapores moreventur, cum optimam ex vtramq; ciuitatis parte habeāt expirationem; adde hos ſulphureos vapores calidos, ſiccos ex ſui natura eſſe, vt dicetur; nam conſtat experientia bonos effectus parere; vtique etiam memoriæ prodidit Galen. 9. ſimpl. medicamentorum. Quarto cum Ciuitas Tyburtina ſita, atque fundata ſit ſuper lapidem, & regio, & eius teritorium pene totum ſit lapideum, (vti de marboribus Tyburtinis variæ apud antiquos Architectos extant memoriæ, & nunc etiam Romani, ſicuti quoque antiqui illi Imperatores, & viri Cōſulares ad ſuos vſus hunc lapidem ex Tyburtino agro Romam conducebant,) vt videre eſt baſis illius, & optime notat Raſis tract. 3. cap. 26. ſicca igitur erit iſtius ciuitatis aeris conſtitutio. Quapropter cum aliquis locus eſt expoſitus, & diſcoopertus

ventorum exufflationibus, & inſufflent ſuper eum venti occidentales, efficitur quidem aer eius craſſus, frigidus, & humidus. Sed ſi inflant ſuper eum venti orientales, vel boreales, aer eius erit ſubtilis, ſcilicet calidus, & ſiccus, quæ eſt doctr. Auero. 1. partis 1. tract. ſuper Auicen. canticam: qua de re, cum noſtra Ciuitas Tyburtina ſita ſit, pars ſcilicet maior in monte, & alia pars in colle, vbi venti boreales, (quos præ omnibus ſaluberrimos vocat Hipp. de morbo ſacro) ſpirant potiſſimum, & cum horum vẽtorum natura ſit frigida & ſicca; vt eſt Aetij quoque ſententia lib. 3. cap. 163. & ratio videtur eſſe in promptu, cum flare incipiant à polis mundi, lociſq. Sole remotis, & per conſequens frigidiſſimis, vt ſecũdo Metheol. Ariſt. c. 1. docuit, quod clarius Auero. loco cit. ſuperius teſtatur his verbis *ſi fuerint montes à parte meridiei protegentes villam à ventis auſtralibus; erit quidẽ illa villa frigida, ratione exufflationis venti ſeptentrionalis factæ ſuper eam; ventus enim ſeptentionalis frigidus, & ſiccus eſt.* at cum iſta ciuitas habeat

beat

beat, montes, ab oriente, & meridie, consequenter erit frigidus & ſiccus eius aer. Sed magis ad frigiditatem, quam ad ſiccitatem procliuis, ob iſtas igitur rationes, & auctoritates, necnon etiam ex ventorum inſufflatione ſtatuendum eſt, aerem Tyburtinum eſſe frigidum & ſiccum, ſed magis frigidum, quam ſiccum, & hoc non ſolum rationibus adductis ſuperius conſonum eſſe videtur; ſed ipſa etiam magiſtra experientia nos clarius demonſtrare ſat poteſt. Cum videamus in hac Ciuitate vulnera capitis eſſe maximè pernicioſa & lætalia, cum aliorum locorum vti Romæ, omnino ſaluberrima videantur. Qua igitur de cauſa, in aere Tyburtino lætalia eſſe? ob aeris ipſius ſiccitatem, & frigiditatem cenſeo, quod conſonum eſt dictis Gal. 3. Meth. cap. 8. & 4. de uictus in acutis, optimamq. rationem reddit Ariſt. 14. ſect. proble. cuius ad amuſſim verba, recenſere non erit ab re. *Cur* (ait) *locis paluſtribus, vulnera capitis curari celeriter poſſunt, crurum autem tarde. An, quod ſit grauis, quia terreus eſt, omne autem graue tendit deorſum*

ſum; ergò vulnera ſuperiora concoctioni ſunt oportuniora; quoniam humor delapſus ad ima eſt, inferiora autem ipſa multo excremento putrefactuq. facilè redundant: hic Ariſt. Quin etiam quod frigida & ſicca Aeris Tyburtini conſtitutio ſit, colligere vlterius eſt nobis, ex Auicennæ & Auero. auctoritate aſſerentium frigiditatem, & ſiccitatem in aere appropinquante alicui villæ, cuius terra vel locus ſaxoſus, vel ſalſus ſit. Quæ omnia Tyburtino aeri competere videntur, cum locus ſaxoſus valde, non ſalſus, ſed ſulfureus, vtpotè ſit, addi etiam, & aliæ bonę qualitates poſſunt, videlicet ſpiritus illuſtrare, humores ſuperuacaneos abſumere, vtiles uero à putredine tueri; corpora dura, ſolida fortia efficere, & articulos corroborare, quippe cum per pauci in iſto aere, ac Ciuitate homines ſint, qui tententur morbis articularibus, & diſtillationibus ſint obnoxij, quemadmodum in aere Romano, magis magiſq. in dies uidetur. At generatim de aeris mutatione & mãſione ad morbos procreandos, hunc, vim maxmã habere dictũ eſt hoc loco ſatis.

Sed

Sed tamen ſpeciali petito exẽplo confirmatur, uentorũ flatibus, à quibus magna ex parte aeris conſtitutio dependet. Ventus enim nil aliud eſt, quam motus aeris, qui diuerſam ſortitur naturam, ac qualitatem, pro varijs regionibus, & locis unde ſpirat, ad quod corroborandum adhærent uariæ Antiquorum ſententiæ, ſcilicet Anaximandri, *ventum aeris fluxionem eſſe*, dixit, *motis in eo à Sole, aut colliquatis humidis, atque tenuiſſimis partibus*. Stoici uero *aeris fluxum*, & nomina mutare, propter locorum mutationem, & Metrodorus, *Ventum eſſe aquæ exhalationis incendium à Sole factum*, & noſter Hipp. in lib. de flatibus. *Ventum eſſe aeris fluxum, et vndam affirmauit*, id quod etiam Theoph. uiſum fuit, ut uidere eſt in lib. de uentis. Aerem itaque communem eſſe uentorum materiam, ſtatuendum erit, at dum aer calefactus, ſubtiliatus, & rarefactus eſt, fit uẽtus, dum uero frigefactus, & condenſatus fit pluuia. Cum igitur aer diuerſis, immo cõtrarijs qualitatibus eſt affectus, fit modo uentus, modo pluuia, concludendum

dendum denique videtur cum Hipp. lib. de aere, aquis, & locis; illam ciuitatem salubriorem esse, quæ ventis patet, & Fernelius disertissimis verbis, *trãquillus aer nulla ventorum vi impulsus, quamquam mitis, ac lenis appareat, nisi tamen tempestate huc illuc iactetur, quiete, & stagnantis aquæ more corrumpitur; ventus vero saluber præsertim Boreas insperta aeris inquinamenta purgat*; quæ prima Fernelij verba in Tyburtinum aerem, ac Ciuitatem, non cadunt, cũ à ventis quotidiæ tam Borealibus, necnõ etiam alijs, Aer istius loci ventiletur, qui venti cum saluberrimi sint, saluberrimum in illo loco vbi spirãt aerem efficiũt, estque etiam illud Hipp; 3. Aph. notandum, quod constitutio sicca salubrior est, cæteris constitutionibus, at cum in isto aere, huiusmodi constitutio præualeat ergo salubrior aer censendus erit.

Sed vnum remanet problema, inter ea quæ diximus discutiendum necessarium; videlicet, vbi nam, magis homines viuant in frigido, & sicco aere; an in calido, & humido? & vt libere,

quid

quid ſentiam, dicam cum Hippocrat. (quamuis hæc diſputatio multum requireret otium) qui in lib.de aere, & c. veriſimile dixit homines, qui regiones incolunt quæ ventis frigidis, & ſiccis patent eſſe longioris vitæ,quam alios, & ſi hæ regiones frigidæ ſint; quoniam hoc per accidens euenit, quod calor à cœli frigiditate, ad internas hominum ſedes impellitur;& in vnum cohit, quare validior fit, nec congelari, aut extingui poteſt; quoniam multus eſt; nec multa excreméta generare poteſt; quia cum multus ſit,multum quoque conſumit, & illa excrementa quæ ipſe gignit;hi venti frigidi, & ſicci exiccant, & ab hominum corporibus exprimẽt, cui ſententiæ accedit etiam Theoph.2.lib.de cauſis Plantarum aſſerens,flatus frigidos, commodiores eſſe,quam calidos, ad plantas diu conſeruandas, neq; hoc paradoxum alicui fortaſſe videatur, cum plantæ animantibus proportione reſpondeant, vt ipſemet Theoph. ibidem teſtatur; itemq; Hipp.lib.de vict. ratione; & quãuis iſtorum auctorum ſententia contra Ariſt. videa-

deatur eſſe,cum in lib.de longitudine, & breuirate vitæ afferat,loca moderatè calida,innatum calidum augere, & conſeruare,omne enim ſimile, à ſuo ſimili conſeruatur, & augetur, & quamuis iſta Ariſt. ſententia omnino videatur eſſe contraria ſuperiori Hyppocraticæ,vt nos explicauimus, nullam tamen difficultatem inuenio, cum Ariſt. non ponat ſimpliciter in locis calidis ſed in locis moderatè calidis diutius viuere, pari pacto Hipp. non dicit locis frigidis,& ſiccis ſimpliciter,ſed locis, qui patēt ventis frigidis, & ſiccis, veriſimile eſſe dixit, quod homines in iſtis locis longius viuant, & hoc eſt quod dicit Ariſt. 14. ſect.proble. eos qui habitant,in locis apertis, & eleuatis tardius ſeneſcere: quoniam his in locis aer continuo renouatur à ventis, ita vt, nec ipſe putredine contaminetur, nec alias res putreſcere faciat hæc de probleimate. Martialis vero loquens de Tybure ait,*Cũ mors venerit in medio Tybure Sardinea eſt*, quod aliud non vult Poeta inferre.Niſi Tyburtini aeris bonitatẽ,ad quod verificandum,variæ accedunt,tum Philo-

Philosophorum, Medicorum, Poetarũ, Oratorum, ac demum Imperatorum Romanorum, necnon etiam Græcorum, illustres villæ, qui omnes ad conficiendas, ædificandasq; in Tyburtino aere, domos, ac villas emulabantur, vt etiã nostris temporibus ingentes eæque innumerę extant ruinę, & inter cęteras, præclarissima fuit illa Adriani Imperatoris, qui inter alias animi dotes egregias, Medicinæ fuit peritissimus, vt testatur Aritmandes in mundi cronologia; igitur congruum esse non videbatur, quod huiusmodi viri principes, suas villas, vbi à maximis curis recreabantur, in prauo aere ædificassent, quæ potius essent causa necis, quam salutis, vt etiam nostris temporibus, hoc videre est, cum villæ ad æstiuos solis ardores fugiendos in optimo temperatoque aere, vti est Tyburtinus ædificentur.

Audite quæso Catullum ad Fundum scribentem; vt optimè istius aeris bonitatem, per belle laudat his versibus, cum ibi sanitatem recuperasset.

Sed seu Sabinæ, siue verius Tyburis,

Fui

Fui libenter, in tua ſub vrbana
Villa, malamq; è pectore expulſi tuſsim,

Et hæc dicta ſint, de aere Tyburtino, ac de aere in communi. Quamuis latentiores differentiæ ſint aeris ſenſui, Aquæ vero manifeſtiores, vt ait Commentator in 1. Phyſic. commento 44. Concludam denique cum doctiſsimo Raſi tract. 3. cap. 26. in quo loco, cum varios ciuitatum ſitus, atque poſituras, enumeraſſet, ac illorum temperaturam patefeciſſet claudit his verbis præciſis. Quod Ciuitatũ in alto ſitarum, quę à multis perflantur ventis, aer bene redolens; & ſubtilis exiſtit. Quę omnia Tyburtinę Ciuitati, ac aeri aſtipulantur, cum pręſcriptas omnes conditiones habeat: vt demonſtratum eſt.

De rebus naſcentibus in ſolo Tyburtino, quæ aeris notant bonitatem. *Cap. IV.*

V*Ictus quoque rationem conſiderandam eſſe, qua homines gaudent,* ſententia eſt Hippocr. lib. de Aere lo-

cis,&c. Ista enim consideratio, potentissima causa est; quare homines, boni, vel deprauati sint habitus, & quare morbi lętales, vel non lętales, in illo aere nascantur; vti sæpe accidunt; ex mala enim rerum nascentium, venenataq; qualitate, ipsemet aer coinquinatur, rediturq; insalubris. Quod è contra euenit in Tyburtyno Aere; vbi non solum res malæ, & venenata qualitate impactæ, nascuntur; sed omninò istis aduersissimæ; cum in hoc solo Stirax hauriatur ex arbore malo cotoneo simili, fructu maiore quam Auellana, specie cādidi pruni; vt est Machioli auctoritas; quas arbores (Mellaina.) Tyburtes vocitant; qui quantam habeant contra tetros odores contrarietatem; nemo negare (cui nota est,) sane potest: nascitur enim, & Angelica varijs in locis huius territorij; sed præcipue in monte, vulgo appellato, (Mōte Gēnaro) in quo, pręter quam quod semper, etiam in mense Augusti nix existit, (estq. vnus ex illis montibus, qui Alpes vocantur, totamq; Italiæ circumdans regionem.) multaque alia simplicia contra varios

mor-

morbos naſcuntur; quæ breuitatis gratia relinquo, cum non ſimplicium hiſtoriam tractare propoſuerim. Generatur inſuper in iſto ſolo, (ex induſtria hominum) Manna quæ vtiliſſima eſt corporibus, non ſolum male affectis, ſed etiam ſanis, non vt medicamentum, ſed etiam vti cibus.

De Olei Tyburtini bonitate, & quantitate, res eſt in tota Italia notiſſima, cum nulla pene Ciuitas ſit, quæ huic comparari poſſit, quippe oleũ, ſi purum, & bonũ ſit, quale eſt Tyburtinum, facillimè tranſeat, & optimum robur addat, ventremq; molliat, & omnem aſperitatem tollat, viſum acuat, venenis omnibus, omni peſti; omnique putredini reſiſtat, impinguet, bonum habitum reſtituat calorem bonũ præſtet, omne doloris genus mulceat, & mitiget; ſed præcipuè nephriticis, fractis, ruptiſq; auxiliatur; laſſitudinem tollit, & non ſolum has, verum etiam multas alias vtilitates corpori humano præſtat; ſuas vires ad alias res communicando; cum cariem à lignis, à metallis eruginem prohibeat, picem, raſinamq; ſepa-

ret, omneque animal non legitimè natum perimat, cunctorumq; medicamentorum vires, atque odores imbuat: vetustate denique fit tenuius; & potentius oleum nostrum Tyburtinum; auget præterea iecur, cerebrum, medullas, & hoc facit ob substantiæ tenuuitatem, multasque alias dotes, ac bonitates habet; vti refert Gal. de oleo Tyburtino, & Sabino lib. 2. de comp. Pharmacorum secundum loca; Concludã igitur, quod oleum, quãto est purius, eo perfectius est; Auezoar. lib. 5. loquens de oleis asserit in suis partibus coqui carnes cum aqua, & oleo, & esse laudabiliores, & gustui gratas; qui vsus etiam hodie Tyburi obseruatur; & hoc erat illud Plinij libr. 4. cap. 3. dicens; *duos esse liquores, humani corpori gratissimos, & vtilissimos, oleum, & vinum*, & Cardanus lib. 3. de san. tuend. cap. 76. *oleum, & sal communia omnibus mixtis, & oleum, aeris vicem gerere, sal ignis*. At cum in Ciuitate Tyburtina maxima sit olei copia, & perfectissimi, necesse est omnes illas vtilitates corporibus in isto aere degentibus afferre,

quas

quas modo enumeraui, at non solum in hoc, sed etiam in cæteris rebus, victui necessarijs nulla aliaCiuitas est huic secunda; cum semper ita bonæ,& gustui gratæ Tyburi carnes comedantur; vt priscis temporibus testatur Iuuenalis Satira 11.de Hædis Tyburtinis;qui ab Antiquis Romanis in conuiuijs multi fiebāt, cum quadrupedum carnes, in lautis illis cœnis non admitterentur; Hædi vero Tyburtini, non solum apponebantur, sed etiam expetebantur; & ob nullam aliam causam,ita boni, ac laudabiles sunt; nisi ex pascuorū bonitate,herbarumq;fecunditate,illarūq. odoratissimo afflatu; quibus Boues, Vitulę, Arietes, Hædi, & alia animalia nutriuntur; cum pascua tempore Hyemis, & Veris sint in montibus, quoquo pacto saxosis vbi vescuntur; hæc enim cibaria sua qualitate, ratione loci, magis sicca sunt; quam alterius qualitatis;tempore vero Aestatis,& Autumni in planitie pascūtur, (in loco vocato li pantani,vernacula lingua) vbi maxima herbarum copia tunc temporis adest;qui locus scatet herbis odoriferis, optimumq.

odorem,ſcilicet Thymi ſpeciem referentibus, & ob hanc cauſam à noſtratibus, Apes in iſto loco reponuntur,magnaque mellis colligitur quantitas. Quod etiam ad valetudinem confert, & optimam aeris temperiem denotat, cum hæc animalia impurum aerem aufugiant, tanquam ſibi aduerſiſſimum, vt optime Vergilius canit in Buccolicis.

Dumq. Thymo paſcentur Apes, dum rore Cicadæ.

& ſæpius in 4.Georgicorum,

Et olentia late.
Serpilla, & greuiter ſpirantis copia thymbræ floreant, &c.

De Vini vero bonitate, Aquarumque qualitate;in capite proprio,inferius examinabimus. Multa eſſent de reliquarum frugum bonitate dicēda, ſcilicet de Malis Punicis, quæ in maxima ſunt copia; vt quædam dulcia, quædam acetoſa, quædam medij ſaporis ſint, quæ omnia humectant, verum dulcia ſunt calidiora, & humidiora; & generatur ex eis modica ventoſitas,non mala; quippe retinent nobilem proprietatem; vt puta quod mirabi-

rabi-

rabiliter reſiſtant cibis,ne corrumpantur in ſtomacho,vt de his notauit Auer. lib. 5.collig.cap.4.

De Prunis,Piris,Ceraſis,& alijs horarijs frugibus;quæ cum ſint res, quæ non ita optimam faciunt temperaturam;cum ex illis non ſemper,neque per totum anni curſum,incolæ veſcantur;etiam ſi malæ eſſent, cum optimæ hic ſint, (vt perbelle notat. Horatius Flaccus lib. 2. ſermonum Satira 4.

Picenis cedunt pomis Tyburtia ſucco:

Necnon etiam Columella de cultu hortorum:

Et Turnilacus,et pomoſi Tyburis arua.)

Non multum detrimenti facere poſſent,attamen cum iſtæ res ſint, quæ perpetuo,& paſſim ægris condonantur, malæ eſſe minime poſſunt.

Magna pręterea eſt copia vuę Appianæ,& alterius vuæ Duracinæ, quam Plinius *Eſcariam* appellat, quæ lingua Tyburtina, Pergoleſe, vocatur. Nomen forſan deductum à Pergolis, cum iſtud genus vitum,in pergolis ſolum à Tyburtinis recondatur, & huiuſmodi vuam ho-

die colunt magno quæſtu, vuarumq; genus eſt nigro ſplendentium nitore, nil pulchrius in vinetis, olim Bacchi iudicijs eſtque ſpectaculum vel bellarijs gratum, colligiturq: menſe Nouembris, necnon etiam Decembris, guſtui gratiſſima, ventrem inflat, & non probi eſt nutrimenti, cum ſit duræ digeſtionis, atque concoctionis; Melior enim eſt vua Appiana, (vt dicitur Moſcatello,) quę etiam in magna copia, eo in agro reperitur. Sed vnum eſt dignũ admiratione; quod hoc genus vitium Duracinarum non adoleſcit, nec fructiferum eſt, in alijs locis Romæ vicinis, præterquam in ſolo Tyburtino; at non in omni parte, ſed in aliqua præciſa, & hoc eſt illud Hippocratis notandum 4. de Morbis, cuius formalia verba ſunt. *Conſiderare, licet quantum locus, quamuis vicinus, à loco differat; quo ad vini ſuauitatem, ſole eodem ſurgente; nam eſt vbi terra humorẽ ſuauẽ præbet, et eſt vbi non, ſunt & agreſtia non pauca, quę paulo longius vlna, de ſuo loco translata non coaleſcant. nam terra humorem illum non habet, quem translatis ſubminiſtret,*
quam

quam illa ſuis agreſtibus plantis, natiſue ſubminiſtrauit, &c. eſſet præterea, aliquid dicendum de Pane quo Tyburtes veſcuntur, illud tãtum referam, quod fere omnes domi ſuæ panes conficiunt, & cum ſale optimeq. fermentatos, & hoc forſitan quoq. poteſt eſſe cauſa quoquo pacto, vt bonę incolarum huius regionis temperies ſint, cum Sal notum ſit, corpora à putredine conſeruare, humores detergere, attenuare, & incidere. Quamobrem non ob iſtas cauſas, id faciunt, ſed ob antiquam huius loci conſuetudinem. Panis præterea fermentatus leuis eſt, & mouet; leuis quod fermenti acore humidum conſumitur; quod nutrimentum eſt. mouet, quia cito digeritur, non formentatus vero minus mouet; ſed magis nutrit, vt optime aſſerit Hippocrates lib. 2. de victus ratione.

Piſcibus demum optimis, pretioſiſſimiſq; Tyburtini veſcuntur; cum ſaxatiles omnes ſint. Piſces enim prætioſi, inquit, Gal. 3. de Aliment. facul. ideo optimi ſunt, quia eorum caro candida eſt, pura, ſincera, atque friabilis; & ob id, lau-

dabi-

dabilem generant ſanguinem (quod pro noſtro ſcopo de loci ſalubritate eſt ad rem,) & inter ſaxatiles, prętioſiſſima eſt Trutta; quæ in Aniene noſtro fluuio piſcatur; ideoq; illud genus piſcium præ alijs eſt laudabile; cum habeat omnia illa bona ſigna, quæ à Gal. loco ſupracitato recenſebantur; caro eſt candidiſſima, & in optima aqua nutrita; quæ & rapide currit, habet præterea ſquamas pulchras, bronchia rubra, necnon etiam maculas rubras, & aureas, vt nihil pulchrius in hoc piſcium genere, videri ſat poſſit.

De Auibus montanis, multa eſſent dicenda, quæ longo egerent ſermone, cum ſitus pro auibus aptiſſimus ſit; ſemper enim adſunt Ficedulæ, Turdi, Turtures, Phaſiani, Qualiæ, cæteraq. animalia in maxima copia, ſuo videlicet tempore, atque ideo Tyburtini habitatores, non ſolum ob aeris bonitatem, ſituſq. amœnitatem, verum etiam, ob reliquarum rerum, tum copiam, tum qualitatem, bonitatemq. copioſiſſimarum, perfectiſſimarumq. optimam inculpatamq. valetudinem ducant, & non tam facile, à mor

bis

bis malignis tentantur, & qui ob aeris intemperiem,& victum, oriuntur, vt latius ſupra docuimus.

Plura eſſent de alijs frugibus, & rebus, quæ Tyburi naſcuntur in medium afferenda. Sed iſta ſint ſatis dicta, ad demonſtrandã Aeris bonitatẽ ſalubritatẽq; Nec opus eſt in iſta Ciuitate,& eius ſitu, peregrini aeris volucres,remotarumq; littorum piſces, alienique temporis flores flagitare,vt luxurioſa vetuſtas in ſuas lautas cœnas requirebat. Nam delicati illi, & fluentes, quales ſæpe Reſpublica tulit, parum ſe lautos putabant, niſi luxuria vertiſſent annum, niſi hybernæ poculis roſæ innataſſent, niſi æſtiua in gemmis capacibus glacie falerna fregiſſent, quorum gulæ anguſtus erat orbis noſter; vt Seneca, & Suetonius de Caligula ſcripſerunt, ſed omnia enim iſta quæ ab antiquis expetebantur, Tyburtes ſatis delitioſe fruuntur,& ſine vllo impendio, natura illis apprime ſuppeditat atque ſubminiſtrat.

De

De Vinis Tyburtinis. Cap. V.

DVos esse liquores corporibus humanis gratissimos, vtillimosq; Vinum, & Oleum refert Plin. lib. 14. cap. 13. *Vinum esse succum carnis, quæ circa fructum vitis existit, de sua sede hominum industria, & diligentia remotum, atque expressum, & ad suos vsus reconditum*; idem *terræ sanguinem* vocauit, lib. eodé, cap. 5. Iam verò de Vinorum Tyburtinorum bonitate, aliquid dicere aggrediar, cum ipse etiam liquor aeris salubritatem denotet. Qua in re explicanda plus erit mea quidem sententia nobis & operis, & laboris, & ingenij penendum cum varias in se habeat, (vt dicemus) differentias; conabimur tamen ex melioris notæ auctoribus, congruentissima, & maxime vera afferre; illud in primis in mentem reuocans Plinij dictum lib. 23. Nat. hist. cap. 1. *Nullius alterius rei difficiliorem tractatum, aut numerosiorem esse; quam vini:* quam sanè difficultatem adaugent, tam multa vinorum genera, tam multæ

eorum

eorum inter se ex vite, solo, situ, regione, cultu, arte, natæ differentiæ, tanta saporum varietas, tam multiplex demum in nobis potentia, miraque in omni mortalium genere cognita opera, vt nemo sit, qui ea contemplatus, non summe miretur, & inquisitionis studio non accendatur. Cum à vino meror, & gaudium oriatur; vt ait sapiens Prou. 31. *date siceram merenti*, *& vinum ijs qui amaro sunt animo*, & Ecclesiast. cap. 40. *Vinum, et Musica, lætificant cor, & super vtramque dilectio sapientiæ*: & Plato 2. de Legibus. *silentium*, *& dicacitatem mentis insuper hæbetudinem, atque acumen, extenuationem*, *atque impletionem, somnum, ac vigilias, sanitatem, ac Morbum, vitam denique*, *ac mortem miseris mortalibus afferre videamus*. Quæ sanè omnia; non tam, ob veritatem spectanda, quam ob magnitudinem, & inter se repugnantiam admiranda videntur. Quo circa Hipp. tum lib. de aff. tum 2. de dieta. *Vina quæ in aquosis, & siccis locis, atque æstuosis generantur, ea omnia sicciora, & calidiora esse affirmat, & robur in corpore exhibere*, ma-

maioremq; reditum tribuere, quam quæ ex humidis, et riguis, ac frigidis, ista enim humidiora, & frigidiora, ac leuiora sunt, non solum igitur ipsius cibi, & potus, & animantium ipsorum vim, nosse oportet; sed etiam patriæ vnde oriuntur; quod igitur forte alimentum corpori afferre velis, vt ex ijsdem cibis, illa quæ ex non aquosis locis, veniunt vtenda sint animalibus; vbi vero leuiore, & humidiore, ijs, quæ ex riguis veniunt vteris. Qua de re dicendum est, cum ipso Hipp. Tyburis vina optima esse, omnesque illas habere vtilitates, & corporibus afferre; quas supra ipse denotat. Nam quod attinet ad vinorum differentiam, multiplex illa est, aut enim ipsa varietas, siue differentia sumitur ex loco, in quo vites nascuntur, aut ex situ, ad coeli plagas, aut ex soli natura, aut ex vite, ex arbore, aut ex vini consistentia, vel calore, vel sapore, vel ætate, vel denique potestate, virtuteq. adeo vt vinorum omnium hæ differentię sint numero vndecim, vti videre est, in varijs Gal. locis; sed præcipuè in lib. de Antido. & Metho. cap. 7. vbi etiam vinum Tyburtinum inter

ter optima vina numeratur, ſcilicet ea, quę conficiuntur, in locis montuoſis, & ſaxoſis (iuxta vulgare dictum) *Bacchus amat colles*, enim vero vina illa apud Tyburtes optima habētur; vt fuit receptum apud antiquos, quod teſtatur. Horat. Poeta epiſt. 18. lib. 1. ſcribens ad Varum vino moderate ſumpto hilaritatem, immodico, rixas excitari.

Nullam Vare ſacra vite prius ſeueris
arborem
Circa mite ſolum Tyburis, & mœnia
Catilli.

Ob quam igitur rationem Galenus dicat vinum Tyburtinum optimum, inueſtigare ex ſuis ſcriptis adhuc non potui, niſi velimus dicere, quod in his locis conficiuntur vina oligoſara, cum in locis frigidis naſcantur fere ſemper vina aquoſa, oligoſara vocata; ſiue ea rubra, vel alba ſint. Vinum ſiquidem aquoſum leuiſſimam in ligno vitis, habuit tranſmutationem, leuiſſimam quoq. in elemento terræ permixtionem, quod vt aqua foret, paulum terreę, calidęq. ſubſtātię occupauit, atque in harum coniunctionem, leuiſ-

maioremq; reditum tribuere, quam quæ ex humidis, et riguis, ac frigidis, ista enim humidiora, & frigidiora, ac leuiora sunt, non solum igitur ipsius cibi, & potus, & animantium ipsorum vim, nosse oportet; sed etiam patriæ vnde oriuntur; quod igitur forte alimentum corpori afferre velis, vt ex ijsdem cibis, illa quæ ex non aquosis locis, veniunt vtenda sint animalibus; vbi vero leuiore, & humidiore, ijs, quæ ex riguis veniunt vteris. Qua de re dicendum est, cum ipso Hipp. Tyburis vina optima esse, omnesque illas habere vtilitates, & corporibus afferre; quas supra ipse denotat. Nam quod attinet ad vinorum differentiam, multiplex illa est, aut enim ipsa varietas, siue differentia sumitur ex loco, in quo vites nascuntur, aut ex situ, ad coeli plagas, aut ex soli natura, aut ex vite, ex arbore, aut ex vini consistentia, vel calore, vel sapore, vel ætate, vel denique potestate, virtuteq. adeo vt vinorum omnium hæ differentię sint numero vndecim, vti videre est, in varijs Gal. locis; sed præcipuè in lib. de Antido. & Metho. cap. 7. vbi etiam vinum Tyburtinum in-

ter

ter optima vina numeratur, ſcilicet ea, quę conficiuntur, in locis montuoſis, & ſaxoſis (iuxta vulgare dictum) *Bacchus amat colles*, enim vero vina illa apud Tyburtes optima habētur; vt fuit receptum apud antiquos, quod teſtatur. Horat. Poeta epiſt. 18. lib. 1. ſcribens ad Varum vino moderate ſumpto hilaritatem, immodico, rixas excitari.

Nullam Vare ſacra vite prius ſeueris
arborem
Circa mite ſolum Tyburis, & mœnia
Catilli.

Ob quam igitur rationem Galenus dicat vinum Tyburtinum optimum, inueſtigare ex ſuis ſcriptis adhuc non potui, niſi velimus dicere, quod in his locis conficiuntur vina oligofara, cum in locis frigidis naſcantur fere ſemper vina aquoſa, oligofara vocata; ſiue ea rubra, vel alba ſint. Vinum ſiquidem aquoſum leuiſſimam in ligno vitis, habuit tranſmutationem, leuiſſimam quoq. in elemento terræ permixtionem, quod vt aqua foret, paulum terreę, calidęq. ſubſtātię occupauit, atque in harum coniunctionem, leuiſ-

leuissima indiguit confectione:Contrarium autem tum vinosum, tum multiferum,neque à leui coctione talę efficitur, vtpote quod ab aqua longissimo recedat interuallo. quęsitūq. est,vt insignem con secutum fuerit, tum caliditatem, tum odorem. Galen. in lib.Hipp.de rat. vict. in Morb. Acut. com.3. vt etiam videtur annuere illis verbis in lib.12. Meth.c.4. *huiusce generis vinorum, optima sunt Surrentinum, Signinum, Sabinum, Tyburtinum, Marsum, omnia quidem Italica, & adstringentia, non tamen pari modo omnia; nam Surrentinum, cùm mediocriter adstringat, tum calidius cæteris, tum iucundius est; ab hoc nobile Tyburtinū; quod sicuti Sabinum, leuiter potest adstringere, &c.* ita forsitan, quia tunc Temporis Tyburtes, vites cōiugatas vlmis, & palis iugo alligatas, ac arūdine muniebant. Quē vsum hodie fere abolitum esse videmus; cum fere omnes suspendant vites in altas pergolas; alij vero, quamuis per pauci maritant vites arboribus, & hac de causa, vina non ita potentia sunt, attamen à Gal. vinum Tyburtinum inter optima,

-tima, prætiosissimaq; numeratur; tam in loco supra citato tum alibi, vt 5. de sanit. tuend. Tyburtina uina sana esse, & multas dotes illis tribuit, vt videre est; sed ad quid opus est auctoritatibus, cum vina, quæ Tyburi conficiuntur, testimonium præbere potantes hodie possint, etiam si ad decem non conseruentur annos; tamen vtilia erant, vt refert Athęneus, & adhuc vetustiora, legitur in lib. Spurijs Galeno adscriptis: Quod credibile est illis tēporibus durasse, vel ex cultu vinearum, vel forsitan, quia fumo vtres vino plenos ad diuturnitatem suspendebant, quod hodie non in more positum est, immo vsus aboleuit omnino. Scire tamen est; varijs modis vinum in mea patria confici. Sed duo sunt modi proprij. Vnus est cum expressis vuis, statim in dolio reponitur, & sic manet, pluribus diebus, donec deferueat, dolij osculum obturando, postq. mensem in aliud dolium transfunditur, & in cellam vinariam reponitur; neque est necesse, vt teneatur in domorum vastibulis, vt Romani faciunt, ne vina corrumpātur, vt asserit, Alexand.

Petron. lib. 2. de victu Rom. c. 10. Secundus modus conficiendi est, cum expressis vuis, vna cum acinis, & racemis, in dolijs (ex vno fundo apertis) reponitur, ibiq; manere faciunt quoad deferueat, clarificatumq. sit vinum, postea vero in alijs dolijs reponitur ab acinis, & racemis diuisum, & statim bibere possunt (& iste modus Retornato appellatur.) *Acinatitium*, vero reperio Antiquis cognominatum esse, quod miris laudibus celebrat Cassiodorus lib. 13. variarum lectionum cap. 4. & Vlpianus Iurisconsultus peritissimus codice de legatis. sed etiam fuisse cognitum ab Hipp. videre est in lib. de victus ratione in Acut. & hoc genus vini bullire permittitur; modo prædicto, vsque ad decem dies plus minusue prout dulcia, vel minus dulcia expetuntur, & hæc vina ab aliquibus in dolijs reponuntur nulla alia addita mixtura; quamuis nõ desint, qui alterius vini portionem modicam admittant, in ipsum dolium, vt est Coctum, vel Sapa, quam Græci σίραιον, aut ἕψημα vocant, & ob nullam aliam causam id faciunt nisi vt magis durabi-

rabile reddatur, maiorque aquæ portio in familijs adhibenda sit, cum ob modicum illud per coctum super impositum (mustum enim est ad ignem factũ) quod ob bullitionem maximam, acquisiuerit ingentem virtutem, & has habeat qualitates, cũ ibi non opus sit hoc medicamentum, vel aliud addere, vti Romæ faciunt ne vina in putorem, (quam mussam vocant,) euadant, neq. minus in vappam (Metaphoricæ autem vappa significat hominem, qui amplius nihili vsui est. Horat. Satira 1.

Non ego Auarum, cum veto te fieri
Vappam iubeo aut Nebulonem)

Cum vineæ fere omnes sitæ sint in locis saxosis, vel siccis, & montium radicibus, non in locis lutosis, atque cœnosis; modus enim conficiendi, & coquendi diuersimodè vina, non solum nouus est, sed etiam antiquissimus, vt testatur Plin. c. 19. lib. 14. cum aliquibus in locis alij decoquant, ad sapas, infusisq. his, ferociam frangunt, vt cap. 20.

Crapula compesci feritatem nimiam frangiq. vires. (seu virus vt aliqui le-

gunt) est autem crapula. Texte Plinio *rasina cocta* ita lib. 16. cap. 11. non autem fex rasinæ vt aliqui volunt. at non solum coquebant vina; sed etiam Picem addebant, vt idem Plin. 7. cap. 14. lib. vt Romæ apud aliquos Sulphure, Sale, & Aromatibus vina conseruantur: Tyburi verò his non est opus; sed tantum aer hoc illis præstat. Vina etiam saccis percolabat antiquitas, quemadmodum & nunc nostrates vsum seruant, vti & Plinius & Columella asserunt Theoph. vero 6. de causis Plantarũ vocauit οἶνον σακκιζόμενον. ad vetustatem deniq. vinorum consequendam implebant vasa ex vino, & in mare proijciebant, alij verò scilicet Arcades, fumo vina in vtribus exiccare solebant, sicuti in 4. Metheol. Arist. & Acron apud Horat. lib. 3. ode 8. hoc asserit, & Martialis.

Improba Marsiliæ quicquid fumaria cogunt.

Accipit ætatem quisquis ab igne Cadus.

Palladius etiam lib. 10. ex Græcis auctoribus, ad ætatem lõgam simulandam, medicamenta quædam permisceri, & vasa in fumo poni solita narrat. A necessa-

rijs itaque octam esse rationem condendi vina constat; quæ ad nimium processit causa luxus. De qualitatibus, & quibus conueniat vini potio, non desunt auctores, non solum antiqui, sed etiam recentiores, qui de hac re optime scripserunt: nil dicam, & inter recentiores satis dilucidè Baccius hanc rem examinauit in lib. de vinorum historia, vbi etiam aliquid de Tyburis vinorum bonitate habet. Miror equidem, Quomodo Alex. Petronius, vir eruditissimus cum varia vinorum genera circa vrbem nascentia enumerasset, in lib. de victu Romanorum illorum uires, & qualitates ponderasset, de Tyburis uino ne uerbum quidem, cũ Ciuitas, sit tam Romæ proxima, ac fere contigua. Cumq. Aer Tyburtinus multis à natura dotibus celebretur, ut ait Baccius lib. 6. de Vinis Italiæ, (ut nos latius explicabamus superius.) *& primum salubri, & fæcunda aura; nam continuis à dextra montibus, vsque in sabinam, à sinistra longè iu campaneam Latij, ac parce in meridiem excurrit, in quorum medio vetustum Tybur occidentem respiciẽs,*

*quasi ex conspicua scena in conspectum totius Latij supereminet Vrbi Romæ ad 15. milliaria, per quæ ipsum collē Anienis amnis à mōtanis vsq. Aprutinis ex Amœnissima valle descendens pluribus in descensu, cadentibus riguis quem locum propterea Strabo ad imitationem Nili cataractam,(*vulgus Infernum vocant, & præcipuè Tyburi,os Inferi vocatur. *Ciuitatem irrigat seque ad oportunos vsus dispergit in totum collem, & exinde in hortos,ac vineta in subiectam planitiem, & vsque in Tyberim propè Romam influit, promouetq. perenni humore frugiferas longa serie arbores, & pomaria ad fœcunditatem incomparabilem. Situ solum ex vtroque latere eminet, in occidentem acclinij, quod saxo pinguiq. topho permixtum omnigenis frugibus fertilissimum sit. Præsertim oleo quod fundit is ager, in tantam copiam, vt ob hanc naturæ fœcunditatem cesset non dubio Tyburtinorum industria, vt nec ornatum ædium admodum curent, nec cultum vinearum,quasi natura abūde ipsam copiā suppeditāte, eamq. albis vuis non tā selectā propagine, quā eius soli genuinis,*

nuinis, ac permixtis generibus, vnde cum Tyburtes vuæ (vt Plinius) *humidiores, ac oleagineæ inuentæ sint conditura amant, quam hodie adhibent coctis saltem mustis, ad spumationem; alioquin vina nõ seruantur.* hæc Baccius de natura vinorum Auctor diligentissimus de Tyburtinis vinis scripsit.

Sed si quis de Vinorum Tyburtinorum bonitate, præstantia, ac qualitate, aliquam notitiam habere ulterius uult, uideat Galen. in suis operibus. Sed ut breuitati propositæ respõdeam; scire est, etiam ad quatuor, & quinq. annos conseruari, nec acida, nec in alterius qualitatem mutari, vt de qualitate notat Cardanus 3. de sanit. tuenda cap. 86. *Vina ex vuis natis in mõtibus, potentiora sunt, calidiora & tenuiora,* quemadmodum sunt pene omnes uineę Tyburtinę, uel in montibus saxosis, uel in montium radicibus, paucis tamen exceptis quæ hoc nostro ęuo, in quadam planitię posirę sunt: quę non ita laudabile reddunt uinum, cum sint in humili loco, frigido, & aquoso, unde illud Poetę est recensendum

Bacchus amat colles; &c.

Differentię igitur omnes, à sapore, à claritate, tenuitate, crassitie, & robore, tempore, atque loco uinorum capiuntur; calor enim nil facit, neque prodest, neq; obest. Sed indicat rei naturam.

Varium esse uinorum colorem, utique alium album, alium nigrum, alium flauum certum est; cur uero uina coloribus differãt, nemo quoad sciam scripsit. Ego autem ad elementa ex quibus hæc cuncta inferiora componũtur referrem, cum Arist. vti vinum flauum, & fuluum ignis naturam sapiat, Rubeum, Aeris, Album, Aquę, Nigrum Terrę naturam referat, ex eodem Arist. sect. 38. Probl. ultimo. Si igitur hoc verum est, erit pariter uerissimum, Vinum Nigrum, & pręsertim Crassum, terreum cum sit, succum mœlanconicum generare. Vinũ vero Album, & tenue, Aquę naturam cum sapiat, Pituitam serumque sanguinis generare. Rubrum quod Aeris, in sanguinem optimum conuerti. Vinum postremo fuluum, vel flauum, flauam Bilem procreabit, quia ignis naturam sapit.

Sed

Sed Vini sapores gustus indicat, vt dulcem, amarum, austerum, acerbum, astringentem, insipidum, ac vinosum; reliqui vero sapores, non sunt uini naturales, sed pręter naturam, scilicet acidus, pinguis, & salsus sapor, quę omnes differentię optime sunt illis notę; qui in tuenda sanitate diligentes, ac soliciti sunt. Cum uinũ, quod in potu alimenti gratia quotidie sumitur, debet esse mundum, purũ, clarũ, odoratum, & sapore iucundum, numquam corruptum, turbidum, impurum, odore graui, & gustu ingrato, quod non modo toti corpori noxam infert, sed etiam sanguinem corrumpit, qua propter suam facillime tuentur sanitatem, qui regiones, & Ciuitates incolunt, in quibus optima conficiuntur uina; quemadmodum in ciuitate Tyburtina; quippe uina ibi nascantur optima, ratione loci; cum omnes illę numeratę differentię reperiãtur, quas supra innuebam. Ad quod corroborandum sunt ad rem illa Hipp. uerba 4. de Morbis. *Quantum locus quãuis vicinus à loco differat, licet considerare, quoad vini suauitatem, Sole eodem surgen-*

gen-

gente, non est vbi terræ humor suaue vinum præbeat, est vbi non. Vinum denique omne uniuersaliter loquendo, Merum, Sincerum, & sua natura austerum excalefacit, facilè in membra distribuitur, stomachum adiuuat, appetentiam ciborum iuuat, uires alit, ac robur auget, somnum conciliat, calorem commendat, & è contra ipsum uinum, uaria in corpus afferre in commoda, ętate, potentia, & assumptionis more inueniemus. Nam uinosum uinum (uocatum) & immodice sumptũ caput tentat, neruos implet, fluxiones excitat, mentem labefactat, uires denique corporis uniuersas dissoluit. Aquosum, & oligopharum, ut minus id facit, ita certè minus alit. Dulcia uina obstruunt, crassa, nigraq. difficillimè permeant, diuque in uentre morantur: uetera uehementer calefaciunt, noua turbant, & fluctuationem miram concitant. Acida lędunt uentrem, neruisq. sunt inimica. Hęc in uniuersum uini incommoda in corpus sunt: circa quę omnia est probatissima Auctoritas Medicorum, & hoc est dictum de Vinis Tyburis.

De

De Vinis Secundarijs, vel Raspatio. Cap. VI.

VNum erat in præcedenti capite notandum, scilicet de Secundarijs Vinis, de Aquatis nostro tempore uocatis, de Lora, de Raspatio; Quomodo ea Tyburi conficiantur, cum uarij in uarijs Vrbibus sint modi, ut Baccius de Natura uinorum c. 19. lib. 1. testatur, attamē constat, eundem esse modum apud Tyburtes, ac ille qui ponitur à Gal. 2. de Alimentorum facul., cap. 9. *Nam coniectis vinacijs in dolia, tantum aquæ super infundunt, quo ad pro racemorum copia omnia permadeant; quod vbi satis factum viderint; in dolij fundo foramine aperto, dilutum diffluere sinunt, idque bibunt: fit & tertio, quam uariosi, proprie volunt, δευτερίαν appellari; aliam similiter effundendo aquam, parciorem tamen priori; vt hæc sit quoque potiani attemperata:* hactenus Gal. & Plin. 14. lib. cap. 10. de huiusmodi secundarijs vinis, sic loquitur, *δευτερίαν Cato, & nos, Loram; quæ fit vi-*

naceis

naceis aqua maceratis. Sed tamen inter vina operaria numerantur: tria eorum genera sunt; primus modus, ac genus est. Decima parte aquæ addita, quæ musti expressa sit, & ita nocte, ac die macerata, vinaceis rursusq. subiectis. alterum, quod hoc modo Græci factitauere, tertia parte eiusque quod expressum est, addita aqua, expreßoq. decocto, ad tertias partes; tertium ect fecibus vini expressis, (quod fæcatum Cato vocat) nulli ex his plusquam anno vsus. hæc illę ex quibus Plinij uerbis, necnon etiam Gal. colligo. Quod Aquatum, & Raspatium, quod Tyburi conficitur, parum distat à modo, quo illo tempore conficiebatur; Quod, extracto musto, ex uuis calcatis optime expressis, in uase illo, in quo uua pistatur (qui uasca uocatur) aqua inijcitur ad illam quantitatem, quam amant, & ita permanere aquam faciunt cum illis racemis, & acinis expressis, per spatium quadraginta horarum, plus minusq., ut magis dulcem, uel piccantem amant, & iste est uniuersalis modus, nil alio addito, quamuis non desinunt, qui cum alijs rebus adul-

terent:

terent; videlicet infundendo, postquam in dolijs reposuerint Aquatum, vuam, vel mustum, vel vuam Lambruscam, quæ res magnam per se faciunt differentiam, ac diuersitatem. At cum aquata ventrem relaxent, Hypocondria inflent, *seruis, & operarijs*, vt Plinius, inquit, relinquenda.

Varium dumtaxat, humana hominum sollicitudo, cui semper noua placet; & noua nouis addere inuestigauit, modum cõficiendi Raspatum indagauit, & hoc non ob aliam causam, nisi vt habeant potionem quam pauciferam, & quæ nullam aquæ portionẽ recipiat, maximamq. in bibendo voluptatem, ac oblectamentum præbeat vinosis, cũ hi varios gustus quoq. sentiant, & præcipuè sub austerum, admixtum, dulce, (vulgò dicitur Piccante) linguæ, & ori delectabile, & ob id, vt suo quisq. gustui obtemperet, varios extra ordinem Raspatij adhibuerunt apparatus; quos omnes si recensere vellem, tędio essem legenti. præcipuos, & proprios tantum proponam; cum in hac re vnusquisq. suæ voluntati faber sit. Nam aliqui ex Lãbrusca vua parant, ebullitis

tamen

tamen in aqua Racemis,& Botris,& in Dolis omnia ad bulliendum ponunt per quindecim , vel viginti dies , ac postea bibunt: alijq. deniq. addunt mustũ; alij vinum vetus , generosum , alij nõ ex vua lambrusca ; sed ex alia vua Raspatium conficiunt;eodem tamen modo.aliqui deniq. boni vinitores , ne longo feruore,illi spiritus nimis exhalescant , duo adhibent , ad id præstandum vtilia ingeniosa , hoc forsitan longo vsu admoniti ; nam longam ponunt in superno dolij foramine arũdinem cauam ab imo ad summum cum patula superne lignea; vnde exhalent spiritus feruentes ; vigor vero non exhauriatur , taliaq. Raspatia multum deferuescere non faciunt;ne auferatur illa punctionis vis, atque gratia , sed statim dolij foramen claudunt .

An huiusmodi Raspatium fuerit in vsu apud antiquos;non ita facilè possum affirmare quemadmodum de Aquato . Cum notum sit,& ex ipso Plinio loco citato superius,cum illa vina,quæ eo in loco enumerat , inter vina operaria recenseat , quæ etiam hodiernus vsus demonstrat ,

ſtrat. Cum Aquatum operarijs ad potandum detur, de Raſpatio, vſque adhuc, nõ inueni, an fuerit cognitum Antiquis, quantum ex obſeruationibus antiquorũ videre ſat potui. Et equidẽ miror ſi hoc potationis genus eſſet apud Antiquos in vſu, cur Plinius rerum Antiquarum ſatis diffuſus ſcriptor, non enumeraſſet; cum de Vinis Deuterijs, de Lora, de Secundarijs verba fecerit, hoc vnum intactum reliquerit; niſi dicere velimus, Quod Vinum Oenanthinum apud Dioſcorid. lib. 4. cap. 5. ſit Raſpatium noſtri temporis, quod anceps eſt affirmare. Cum vini oenanthini compoſitio, ſit diuerſa à Raſpatio, etiam ſi duplex modus ab ipſo auctore ponatur; illud tamen eſt aduertendum, quod vt ipſe, inquit, c. 18. fit, ex floribus Lambruſcæ in muſto maceratis, ac poſt triginta dies mutatis, & hoc ſignificaſſe videtur Hipp. de vict. rat. in Acut. his verbis. *Cænanthinam, vitiſque florem, &c.* Alterum quod cap. 10. ponit, poteſt noſtro Raſpatio accommodari, cum modus, quem Dioſcorid. deſcribit, idem ſit, ac ille, quem ſupra explicaui,

ui, & quo Tyburi conficitur. De suo Raspatio Dioscor. dicit, prodesse alui, & stomachi fluxionibus, & cœteris, quod pariter ego possum de Tyburtino affirmare cũ ex vua siluestri, nigra, quæ Lambrusca vocatur conficiatur istasq. proprietates, atque dotes habeat.

Verum cum factitia hæc omnia vina sint, nec vere, & proprie vina vocari possunt, vt Plin. monebat, & non sunt admodum hominibus sana, vt pote delicatis, & nobilibus: relinquenda igitur seruis, & operarijs, erunt iuxta Plinij documentum, deque his erit dictum satis.

De Aquis, quæ Tyburi oriuntur. *Cap. VII.*

EXpeditis ijs in præcedenti capite quæ ad Vini Tyburtini naturam pertinebant; res omnibus profecto, & auditu, & gustu gratissima; reliquum est in præsentiarum aliquid de Aquis, in medium afferre, tum quę apud Tyburtes bibuntur, tum quæ ad alia inseruiunt, &

qua-

quatenus illæ sint salubres, vel insalubres quoniam ad sanitatem, maximopere vtiles sunt, aerisq. salubritatem denotant; cum pleraq. mala, ac bona fieri ab aquis probabile sit; sed ista cognitio propriè tum ad Philosophum, tum etiã ad Medicum pertinet. Quemadmodum loca recẽsita ab Hipp. in lib. de Aere & Aquis optimum faciunt testimonium, cum ait, *opus esse Medico situm locorum nosse, Aquarum qualitates ponderasse, et victus hominum, qui in regionibus habitant, vt his cognitis effectus eorum cognoscere, ac prædicere valeamus*. Sed ista cognitio, ad aeris salubritatem, si aquæ bonæ in illo aere, & loco nascantur, pertinet, cum aqua, tam sanis, quam ægris commune solatium sit, & maximopere necessaria, cum mundanorum, & singularium elementorum, hoc vnum sit, ex quibus vniuersis tota nostri corporis constitutio sit conflata, atque composita; quamobrẽ de ea fuero haud ociose dicturus, & quãuis varij varie disputent de Aquis; Ego ad illam Hipp. veritatem 5. Aph. 26. animum intendi; Nam si spectemus aqua-

rum differentias , quæ ſumuntur à Pluuia, Fluuio, Fonte, Ciſterna, Puteo, Lacu, Palude; hæç omnes ad illam ſententiam in illo Aph. prolatam reducuntur, ſi præterea diſtinguemus aquas, quæ ſint turbidæ, vel duræ, vel molles, vel mediæ, reducuntur ad eandem. Itaq. Hippocr. eam aquam optimam eſſe cenſet, quę cito caleſcit, & cito refrigeratur, hæc enim læuiſſima eſt. Aqua igitur puriſsima, & quæ omni labe caret tribus iudicatur ſenſibus, Guſtu, Viſu, & Olfactu; Guſtu ſi nullam planè qualitatem præ ſe ferat; ſed videatur ab omni qualitate immunis. Viſu, ſi pura, ſincera, & exquiſite clara. Olfactu, ſi eorum nil ineſt quæ in aquis vitioſis eſſe olfactus teſtatur , vt ſunt Aciditas, Putredo, Alumen, Salſedo, aliquodue aliud vitium, quod nomine careat, vt optime videre eſt, in lib. de Ptiſana, vbi Galen. probatiſſimam ponit illam aquam eſſe ad conficiendam ptiſanam, quæ tum ſubſtantia, tum guſtu quidem, atque odoratu, & colore diſcernitur, & nullam exoticam referat qualitatem, hoc eſt non exiſtat dulcis, non ſalſa, non acida, aut

acris,

acris, non grauiter olens, non putris, neq. penitus alicuius exquisitæ qualitatis particeps, sed prorsus simplex, & nullam alienam qualitatem, atque immixtionem habeat, quæ vel gustu, vel olfactu deprehendatur; atque ideo cum Gal in conficiendo Pt. sanã, optimam, ac perlucidam, requirat aquam, quanto magis nobis pro nostra salute, pura, optimaque & ab omni labe, & defectu immunda perquirenda est. Solebant Veteres Aquæ bonitatem pondere metiri, vt nostro hoc æuo aliqui faciunt, neque re uera est hoc reprobandum. nam si aquæ pondere æstimantur, quæ leuior est, ea erit melior Hipp. vero non intelligebat eam optimam esse, quæ pondere est leuis; Sed ea quæ celerrimè alteratur, quo ad partium tenuitatem, & à calore transmutatur, & per Anadosim, in corpus distribuatur, & excernatur.

Anio fluuius noster Tyburtinus, præceps fertur à sublimi loco, in Ciuitatem: iuxta illud Horatij, *præceps Anio, & Tyburti lacus.*

Anienem ortũ habere à fonte Curtio,

& Ceruleo, in mõte Tebanorum vt Plin. lib. 3. cap. 12. ait Anieni nomen indidit Anius Rex Hetruſcorum qui fuit filius Apollinis (vnde Virg. 3. Aeneid.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phoebiq. Sacerdos.)

Qui inſequens Coethegum filiæ raptorem, cum eum aſſequi non poſſet in fluuium inſilijt, ibique extinctus, vt Anio vocaretur effecit. Aquam iſtam Anienis antiquitas potabat, & nunc quoque plerique ſine vlla noxa potant.

Sed ad probandam bonitatem iſtius aquæ, exſtant probatiſſima teſtimonia, non ſolum immenſę aquęductus moles, verum etiam Frontini auctoritas id denotat, qui ait, (*Cum Caius Cæſar parum publicis vſibus, & priuatis commodis ſeptem ductus aquarum ſufficere videretur duos ductus inchoauit; quod opus Claudius præclare abſoluit. Alteram aquam, ex via Sublacenſi, longe ab Vrbe 38. millia paſſuum delata, cuius origo eadem via Sublacenſi 42. milliaria diſtat ab Vrbe, Anio nouus, vocari cœpit, cum alia etiam Anionis aqua, poſt hanc veterem adiectionem*

aſſe-

aſſerit) & etiam ſi ab hinc circiter quadraginta annis, nonnullas alias aquas, aliqui ex ciuibus bibãt, quarum vires,& qualitates ſeorſim, in ſuis proprijs capitibus à nobis erunt examinandæ. In præſenti tanquam ab antiquiori, nobilioriq. ſermonem facere decreui ab iſta Anienis aqua quam etiam laudauit, Propertius eleg. 20.

Hic Anio Tyburte fluis, &c.

& Elegia 14.

Cadit in patulos lympha Aniena lacus?

Atque adeò, non mihi multum facesſunt negotium, illa Gal. verba 6. Epid. Com.4. Tex. 10. crudiuſculam, (ſcribẽs.) eſſe huiuſmodi Anienis aquam; cuius formalia verba iſta ſunt; videlicet, *Aqua Anienis fluminis, quamuis multis alijs vitijs careat, crudiuſcula tamen eſt, vt neque celeriter in ipſa legumina, & olera, & carnes, elixentur*, in quibus Gal. verbis non inuenio, Aquam Anienis fluminis Tyburtini eſſe pernicioſiſſimam, nec eſſe ſaluberrimam; ſed eſſe mediæ naturæ; dum ait, *crudiuſculam eſſe*, non inter cru-

das totaliter, neq. inter inculpatas aquas esse enumerandam, tamē magis affirmarem inter bonas, quā inter prauas aquas cōnumerandam esse, ex dictis qualitatibus supra à Gal. in lib. de Ptisana enumeratis, cum fere omnes illæ, quas Gal. ibi asserit, in ipsa Anienis reperiatur, & id magis corroborare videtur ipsemet Hip. lib. de Aquis locis, & Aere, *optimam primo*, (asserit,) *illam esse aquam, quæ è sublimibus regionibus, & terrestribus tumulis fluit, hæc enim dulcis, & alba est.* (igitur cum Aqua Anienis ortum habeat, à sublimibus regionibus, scilicet à locis mōtuosis & petrosis, nullam aliam qualitatem prauam habere potest, ex dictis Hipp. nisi quod cruda sit.) *Secundo vero, Aquarum fontes, quæ è petris fluxerint, crudas, etiā illas esse necesse est:* vt in lib. supra citato Hipp. optime asserit, & quod Anio ortum habeat à sublimibus regionibus, vltra quod visuris optimè patet, auctoritas etiam celeberrimi Plin. id probat lib. 3. cap. 12. *Anienem ortum habere in monte Tebanorum.* Statuendum hac de causa censeo, Aquam Anienis nul-

nullam aliam qualitatem habere, nisi quod crudiuscula sit; vt superius ex Gal. sententia est dictum, cum ortum habeat è locis petrosis, per quæ etiam dilabitur, vt notatur 7. Aeneadum: *Gelidumque Anienem, & roscida riuis. Hernica saxa colunt*, & 4. Georgicorum. *Vnde Pater Tyberinus, & vnde Aniena fluenta, saxosumq. feras Hippanis*, & quæ sequuntur. Hanc tamen prauam qualitatem, quia pauca est, secundum Gal. non est dubitandum, quin possit à Sole moderari; nec non etiam ab illo violenti motu, quo rapitur, per dirupata immaniaq. saxa, & quod hoc Sol præstare possit, scilicet aquam moderari, & à natura sua originarja remouere, inficiabitur nemo: dummodo radij solares, in ipsa aqua recipiantur per aliquod temporis spatium, & ista est expressa etiam Arist. sententia; de Aquis Nili, dicens; *illam moderatam decoctionem insignemq. alendi facultatem à Sole habere* vnde illud Imperatoris dictũ, suis militibus. *Nilum habetis, & Vinum quærite*, istud ego de Aniene affirmare possem, quod Arist. de Nilo; cum Anie-

nis Ripa ampla ſit quoquo pacto, & etiã ſi arbores in aliqua parte ſint, tamen à ſolaribus radijs, dum Sol oritur, & dum altam meridiei tenet ſtationem, vſq. ad occaſum; ſemper in varijs ipſius fluminis partibus illuſtratur, addendo præterea, quod nullam miſcelam limoſarum aquarum admittat; necnon etiam cloacarum, atq. aliarum immundicierum in ſe recipiat ante quam in Ciuitatem perueniat, vnde ipſa aqua ad potandum hauritur. Demum cum venti Boreales ex oppoſito ipſius fluminis ductu ſpirent, efficiunt ipſam aquam quoquo pacto puriorem; vt fuit Placitum Hipp. & non ita crudã, vt aſſerere videtur Gal. ad quod corroborandum, accedit ſententia doctiſſimi viri Laurentii Iouberti in ſuis Paradoxis aſſerentis, *aquas crudas agitatione, & motu per loca ſaxoſa reddi meliores*. quam ſententiam mutuatus eſt ab Hipp. locis ſuperius citatis. Quamuis etiam Baccius vir noſtro æuo eruditiſſimus in illo de thermis tractatu multis rationibus hoc idem probat, quorum repetitionem ſuperuacaneam duxi fore; eſtq. etiam rationi

tioni consonum, cum ex motu, & agitatione res mutẽt naturam, & qualitatem; ex frigida, in calidam, & ex calida in frigidam: at cum aqua istius fluminis, vt superius dicebam, fere semper inter dirupata saxa dilabatur; vt aliquando in aliquibus locis ipsam aquam in tenuem puluerem, ac in rorem, cadere videatur; non est ergo ita absonũ, quod ex isto tam violentissimo motu, aliquam aliam qualitatem, atque naturam, à sua originaria acquirere possit, id inficiabitur nemo; quemadmodum, nec ego auderem affirmare fontium aquas, ex quibus Anio originem trahit, non esse aliqua ex parte frigidiores, crudioresq. (quam sit ipsa Anienis aqua) neq. ita salutares, nec nõ etiã naturæ humanę idoneas; ac si vbi nascuntur potarentur, *Cum frigidum sit inimicum ossibus, neruis, cerebro, & spinali medullæ*, Hipp. in Aph. 18. lib. 5. quamuis etiam plerumq. innumeri morbi ab istis aquis potatoribus oriantur, quorum enumeratio non est huius loci, cum non de Aquis speciatim, neque illarum natura, qualitate, ac demum ef-

fectibus agere mihi proposuerim; sed de Aquis solũ Tyburis, & de illis quæ sunt potui idoneę,& de cęteris quę in isto solo nascantur, dicere obiter decreuerim.

Ex dictis ergo patet, Aquam Anienis non esse ita prauæ qualitatis, quæ sit à mensa, & à potu reijcienda, cum ex longa, veterum experientia constet, nullam malam, insignemq. bibentibus attulisse noxam, vel affectionem, attamen nullam aliam aquam ab initio conditæ Ciuitatis habitatores potarũt;& quamuis obijcere aliquis posset, quod, cum sæpe arenosus Anio currat, & perpetuo post se aliquid lutulentum ducat,& veheat,instar minutissimæ arenæ, lapilliq;,nõ sit ipsius aqua ad potandum idonea;Hoc non solũ prauitati aquæ,non est adscribẽdum, sed potius bonitati; cum aqua stagnans non sit; colligere ergo vnusquisq. ex hoc potest: etiam si aliquis posset asserere,quod omnes aquæ fluminum,nisi resideant,calculum generare soleant, quia Cœnosę, Arenosę, aut Lutulosę sint, at cum aqua Anienis non Cœnosa,non Lutulenta,sed Arenosa, ergo huiusmodi aqua lapillos,

& are-

& arenulas in renibus generabit; vt videre est in cannis, quæ in ipso flumine per aliquod horarum spatium permanēt generare circum circa lapidem, quem tartarum vocant: sed hoc non est consonum veritati, neque medicinæ dogmatibus, cum lapides, & arenulę in renibus, non ex aqua arenosa, turbida, & lutulenta gignātur; (vt videre est in Canalibus, in Cannis, & alijs rebus quæ in flumine isto sunt) sed ex ignea renum caliditate, quæ est effectrix lapillorum causa, addita demũ ipsa causa materiali, quæ est crassus humor, atque viscidus; & ista est communis doctorum sententia. Pauli, Aetii, & Gal. estq. etiam expressa Hipp. in lib. de Natura humana. Quod quoq. exemplo figuli clarius denotatur. Qui ex igne, & tali materia idonea, omnia vasa confecit, ita vt neque ab aqua vnquam dissolui possit, sed obijciet demum subtilis quidam studiosus, concedendo; quod ab exigua renum caliditate, lapilli generentur, tanquam à causa efficiente, sed causa materialis erit ipsamet aqua arenosa; ad hanc obiectionem erit facilis responsio:

ſio: Cum renes non attrahãt aquam, prout bibitur, ſed humorem ſeroſum, non à ventriculo, ſed ab hepate, & à venis; & vlterius reſponderi poteſt, quod aqua etiam ſi huius ſit qualitatis in ventriculo, coctionis medio aliam acquirit qualitatem, & illud uitium quod in aqua eſt, ſecernitur, & à natura ſeparatur. Et quãuis de hac re multæ eſſent dubitationes, hinc inde ſoluendæ, ſed nunc non eſt meum; at qui copioſiſſimum, ac doctiſſimum cupit Tractatum, de aquis procreantibus calculum, videat impreſſum opus, *De Querelis Nephriticis*, à clariſſimo viro meo amiciſſimo, Franciſco Colutio, in Romano Gymnaſio lectore peritiſsimo, in quo diligentiſſime omnes dubitationes ſoluuntur.

Sed ad aliud Medicinæ fundamẽtum nunc deuenio, quod eſt inſtar ſacræ anchoræ, ipſam nimirum experientiam, ſine qua ars medica claudicaret, & quę in rebus dubijs, & ambiguis optima eſt magiſtra. Nullus, vel per pauci admodum ſunt, qui in Tyburtina ciuitate renum calculis tententur; qui aquam Anienis

bibant,

bibant, & hoc lõga mei Auunculi obseruatione doctus, qui per annos circiter triginta, medicinam summo cum honore Tyburi fecit; duos vel saltem tres, in suis manu scriptis Epidemicis inueni ab ipso fuisse curatos, quod etiam vsus hodiernus nobis ostendit, cum in dies iuuenes, & senes, & qui boni, vel mali sunt habitus istam Anienis aquam indifferenter bibant absq. vlla noxa; non solum circa renum vitia, sed nec etiam ventriculi symptomata: Quamuis (quod est admiratione dignum) imposita in ipso flumine arundine, cũ per spatium viginti quatuor horarum moretur, tota tartaro, vel topho cooperta inueniatur. Non esse lapillorũ effectricẽ ipsam Anienis aquã asserere vlterius possumus, cũ habeat quid aciditatis, (vt separãdo adnotaui) quę est causa potius destructiua lapidis quã secus, & ideo Tyburtes illi qui aquam istã Anienis bibunt lapide (vt superius dicebã,) nõ laborant, sed potius illis ventriculus labefactatur frigidusq. redditur, si ipsa aqua diutius quã par sit in ipso vẽtriculo ad concoquendum detineatur, cum
potius

potius ad aliqualem cruditatem ipsa tendeat quam secus, sed ad hanc prauam qualitatem remouendam, quam in ventriculo inficere esset apta, præsto est vsus & quantitas Olei, quo Tyburtes in epulis vtuntur, & quod hoc oleum præstare possit, vbi de Olei Tyburtini qualitatibus differetur videbimus; & hæc pauca de Anienis aqua dicenda habui.

De Aqua Reuellesia. Cap. VIII.

DE Aquis illorum fontium cum sim aliquid scripturus, qui in Tyburis solo oriuntur, & de illis præcipuè, quibus Tyburtes ad potandum vtuntur; occurrit primo loco aliquid dicendum de Aqua Reuellesia vocata, & cur sic vocetur nullibi adhuc inuenire potui, neq. istius Ciuitatis incolæ norunt: at nominum impositionem ad placitum esse dicebat Philosophus. Fons ergo iste multis à natura dotibus exornatur, & optimas præ aliis fontibus qui Tyburi nascuntur conditiones, & qualitates habet, cum ad ortum Solis nascatur, & currat, cumque hoc sit

pro-

proprium bonarum aquarum argumentum, aſſerente Hippocr. lib. de Aere, &c. *Quarumcunque fontes ad ortus ſolis, ſe habent eæ quidem optimæ, ipſæ ſe met ipſis ſunt*. Surgit enim iſta aqua in accliuio montis ad orientem, duobus diſtans ab Vrbe Tyburtina milliarijs, ſemperq. clara currit, & nunquam turbatur, cum ſemper ſit limpidiſſima, guſtui grata, potius ad dulcedinem aliqualem accedens, quam alterius ſaporis: & iſtæ ſunt conditiones, & qualitates huius aquæ: Quãuis etiam Piſces nutriat, Ex quibus colligere eſt Aquã hãc ſimpliciter meliorem eſſe, quin ſit ipſa Anienis, cum iſta ſit leuior, & ſplendidior, & haſce omnes proprietates habeat; quod nimirũ ad ortum Solis, & oritur, & currit. Sol enim orientales regiones magis, quam occidentales calefacit. Sententia eſt Hipp. lib. ſuperius citato, & ad probandum huius aquę pręſtantiam eſt, illud Hipp. ſatis ornate dictum lib. de Vulneribus, in quo habetur. *optimæ illæ aquæ ſunt, quæ decurrunt de locis altis eæ dulces, & albæ ſunt, modicumq. vinum ferunt, per æſtatem vero fri*

ge-

gescunt,per hyemem calescunt, quæ verba ad amussim explicant naturam, ac essentiam Aquæ Reuellesiæ.

Sed vnum est quod dubitādi ansam tribuit aliquibus ex nostris viris sane eruditis, (quorum nomē silentio inuoluam) quod postea posteritati errandi occasionem prębuit, hoc est quod dicunt istam nimirum aquam Reuellesiam statim ac nascitur, in quodam vase colligi, & ex illo postea per subterraneos ductus, in Tyburtinam Ciuitatem transportari; ergo ista aqua non erit bona, cum à radijs solaribus non possit rectificari, vt superius ex sententia Iouberti, quę deprompta est ex Hipp. monumentis; cum radij solares hac sint virtute prędit, ergo non est ita bonę qualitatis sicuti est aqua Anienis: immo hoc potius bonitati Aquę Reuellesię, quam alteri qualitati est condonandum; quia cum huiusmodi aqua omnes optimas qualitates bonarum aquarum à suo originario fonte trahat, si radijs solaribus prorsus esset exposita, ad puriorē naturam transiret, & potius prauitatis, quam maioris bonitatis causa esset; cum

ad

ad naturam aquę elemẽtaris accederet; quę ex Hipp. est potu pessima. Attamen quidam dicere vlterius posset; Anio etiã oritur ad Solis ortum, ergo non est dispar ratio, cum sit & ipse lucidus, splendidus, & habeat omnes qualitates, quas habet aqua Reuellesia; sed hoc est in Hipp. verbis notandũ. Quando ait, *Quarumcumq. quidem fontes ad ortum Solis se habent hea quidem optimæ se met ipsis sunt, &c.* Quidnam his verbis significari velit, & qua de causa has aquas optimas esse simpliciter nõ dixit, crediderim ego Hipp. voluisse illis verbis, quod omnes aquę quarũ fõtes ad alias cœli regiones, ac Plagas vergunt, ijs conferantur; & illæ quæ ex fontibus fluunt, qui ad orientem Solem sunt siti, & currunt versus orientẽ, eas optimas esse ait, cęteras vero, quę ab alijs fontibus manant, qui ad æstiuum ortum spectant, eas deteriores esse, & sic de cæteris aspectibus, qui ad hybernum, qui ad Autũnale aspectũ oriũtur idcircò dixit illas aquas se met ipsis optimas esse, cũ omnes orientẽ solẽ semper spectẽt & currant; Quod cum ita nõ succedat in

F Anie-

Aniene ideo non est tantæ bonæ qualitatis ipsius aqua, quemadmodum Reuellesia, quippe cum nascatur, & currat versus orientem, etiam si non currat, dum ad Ciuitatem labitur, ob hoc non infertur, quin motus, & cursus eius primęuus non sit versus orientem, vti etiam esset, si non impediretur, quod Anienis aquæ nequaquam accidit. Immo leuitas istius Reuellesiæ maior est, quam fluminis Anienis, cum facilius in ea carnes, & legumina coquantur, vt notauimus superius ex Gal. sententia, & vsus quotidianus adauget præstantiam, cum à Medicis huius loci ægris cruda propinetur absque vlla coctione, & eo modo, quo à fonte hauritur: Anienis autem, nisi ad ignem feruerit, ægris non condonatur; hæc de Aqua Reuellesia volui adnotare.

De Aquorij Aqua. Cap. IX.

NOn me fugit, meum etiam esse de Aqua Aquorij vocata (sed vt melius dicam Aqua Auri corrupto forsitan vocabulo ex duobus vocibus vna sic fa-

cta relictis litteris A, & V. & mutatis A, in O, & sic Aquorij sonat vox) in hoc de Tyburtino Aere tractatu aliquid in medium afferre, vt voluntati aliorum, opinioniq. meæ satisfaciam; Fons, & Origo, istius aquę, vt videre est, ad occasum Solis spectat: & in hoc fonte radij solares nunquam recipiuntur, præter quam dum Sol mediam, cœli stationem tenet; semper limpida est, optimaq. præ alijs aquis, quæ Tyburi nascuntur, ab habitatoribus censetur; Diaphaneitatem maximam habet, adeo vt si aliquid inijciatur, optime, & sine vllo impedimẽto perspiciatur etiã si ad quindecim, vel viginti altitudinis cubitos perueniret. Aestate frigidissima, Hyeme calida; Pisces non nutrit, citissimeè stomacho ad vesicam transitum habet, præ alijs aquis Tyburtinis pondere est leuissima, gustui dulcis, cruda ægris præbetur, & sine vlla noxa. Vires, qualitatesq. istius aquę, sicuti, & aliarum, dum Tyburi essem obseruaui, ponderauiq.: ac satis mirabar mecum ipse, quomodo huiusmodi aqua, cum nascatur in tam infimo loco, in valle ad montis radicem,

prope flumen, ad occasum Solis, esset tam eximiæ qualitatis, & bonitatis; etiã si aliqui Venatores qui sæpe sunt obseruantes agrorum circa aquarum potiones (venatio enim sitim canibus, & venatoribus inducit) mihi retulerunt, hanc aquã in vertice illius montis, ad cuius radicem oritur, in quodam montis foramine, istius aquæ murmurationem audiri; sed quomodocunq. sit, cur tam eximiæ, & bonæ est qualitatis? Hanc admirationem quamdiu habui, & nemo præter aurea illa Hipp. verba superius citata in lib. de Aquis, &c. è mente Animoq. deleuit. *Quarumcumq. quidem* (inquit) *fontes, ad ortũ Solis, se habẽt, hæ quidem optimæ ipsę se met ipsis sunt; secundæ vero, ab illis sunt quarum fontes mediam regionem inter occasus æstiuos, & hybernos spectant, istas omnes aquas, quæ nascuntur in hiscę locorum aspectibus, optimas esse*: Atque ideo cum ista Aquorij aqua ad istos nascatur aspectus, optima est (ob quam bonitatem Tyburtes Auri nomen imposuerunt, & corrupta voce Aquorij vocarunt) oritur enim, inter

ęstiuum,

æstiuum, & hybernum Solis occasum; nam fontes, qui ad istum aspectum sunt positi, satis à Sole calefieri attenuarique possunt; qua propter illius aquę satis leues, puræ, ac splendidæ sunt; si quidem Sol in ęstiuo occasu, neque in media regione inter æstiuum occasum, & hybernum ita debilis est, vt in hyberno occasu: Quamobrem aquæ illæ, quorum fontes hybernum occasum spectant, calidiores, crassiores, ac frigidiores sunt, quam opus est. Indicium vero tutum bonitatis harum aquarum est, illas æstate frigidas, hyeme vero calidas esse; id vero contigit huic aquæ Aquorij à qua bonitate motus, & ductus *Illustriss. Card. Coesius*. Villam suam Amænissimam tametsi ratione loci exiguam, sed bonitate aquarum gratissimam exædificauit, atque ornauit; vbi suas felices quietes, ac dies calidos, cum istis aquis tẽperabat, & ęgritudinẽ cũ sanitate commutabat saepius.

Sed iure optimo aliquis studiosus percunctaretur, qua nam ratione fieri possit, aquas quę è profundis fontibus pullulãt, hyeme calidas, ęstate frigidas ęsse; & cur

istę eaedem aquę sint cœteris pręstātiores: à qua profectò difficultate paucis me expedire possū; cur aquę, quę à profūdis fontibus oriuntur, hyeme calidę sint, ęstate frigidę, vt Hipp. supra loco citato docuit, hoc fieri per Antiparistasim ab omnibus videtur receptum, qua propter non erit ab re aliquid de Antiparistasi in medium afferre; quippe illa cum non sit nisi circum obsistentia quędam calidi, circa frigidum, & frigidi circa calidum, hanc autem nullam esse Gal. 3. de simpl. med. facul. affirmauit; Quamuis sibi ipsi videatur contra dicere, cum in comm. 15. Aph. 1. sect. rationem reddat; quare ventres, hyeme, & vere sint calidissimi; *Eos hyeme calidissimos esse* (ait) *quoniam calor cali ipsum ambientis, frigiditatem refugiens, in intimas corporis partes se recipit, æstate vero in ambientis aeris calorem, veluti in sibi similem, se diffundit. Ideoq. intimæ animantium partes hieme calidæ, æstate vero frigidæ sunt*. hac eadem ratione ego dicam, intimas terrę partes ęstate frigidas, hyeme vero calidas esse, fontesq. & puteos, qui ex intimis

mis terrę partibus naſcuntur,hyeme calidam, ęſtate frigidam habere aquam. Sed quoquo modo iſta antipariſtaſis calidi frigidiq. fit, an calidum in locum frigidi, & frigidum in locum calidi ſuccedat, accidens enim de vno ſubiecto in aliud migraret, quod eſſet contra firmiſſima Ariſt. documenta. An calidũ, quod in intimis terræ locis eſt, in ſe colligitur, quod terrę ſuperficies, à frigiditate Cœli, quę eam ambit, denſa, ac dura reddatur; qua de cauſa cum calor ipſe perflatum habere non poſſit, in ſe colligitur, multiplicaturq. & aquas, quę in illo loco gignuntur, calefacit, Aeſtate vero, quia terrę ſuperficies à calore Solis extenuatur, & rare fit, ideo calor, qui in terræ viſceribus eſt, perflatum habet, & in calorem Solis veluti in ſibi ſimilem diffunditur, vt dixi; Quamobrem intimę terrę partes frigidę redduntur, & aquę quæ inde oriuntur, frigidę ſunt; ſed ſi quis exactius hanc rem inquirere cupit, & quanam ratione calor, qui in terrę viſceribus includitur, aquas calefaciat, adeat Hipp. lib. de Natura Pueri, qui apertis verbis,

hoc declarat, & hęc de Antiparistasi satis sint explicasse; ne aliena alicui videatur, & erronea esse illa opinio quam de aquis habent, quę ęstate sunt frigidę, hyeme vero calent, eas esse bonas, quia eę mutant naturam; cum potius ridicula sit ista, quam prudens obiectio, cum videamus ex Gal. in Commen. 15. prima Particula Aph. *Ventres hyeme calidos, æstate frigidos*. tamen non mutant naturam, nec temperaturam.

Concludam ergo secundum Hipp. dogmata à me superius recensita, quę ipse in lib. de aquis, &c. enumerat, aquam istam Aquorij prę cęteris aquis Tyburis optimam esse, nec obstare (friula illa obiectio) quod pisces non nutriat: cum id potius bonitati, quam secus tribuere possimus; cum Pisces ad depurandam, ac defecandam aquam apti sint, quod minime est necessariũ prędictę Aquę; ideo illos non nutrit, pręsertim, quia nutrimentum eorum non continet, & propter nimiam frigiditatem fortasse pereunt.

De

De Aqua Fontis Sancti Angeli. Cap. X.

INdubitatum est, fontem quendam nouum Tyburi ortum fuisse Anno circiter 1550. quem Tyburtes S. Angeli, communi vocabulo appellant, cũ propè S. Angeli Ecclesiam scateat, tertiam fere milliarij partem ab vrbe Tyburtina distantẽ cuius aqua ęgris cruda, & vt è fonte venit conceditur, quod meo quidẽ iudicio non ritè fit, cum huiusmodi aqua non vacet nec vitio, nec culpa; non habens bonas illas qualitates, quas supra ex Hipp. de bonis aquis retuli; cum in conualle nascatur, ortui Solis auersa, nec omnino radijs solaribus exposita, cum ad meridiem nascatur, eę enim Aquę ex Hipp. in lib. de Aquis, & c. pessimę sunt, & valde malę; Aqua istius fontis vena parua est, & in ęstate media siccatur, deperditur, & non currit, neque apparet: vnde sum ex illorum opinione, videlicet huiusmodi aquam non trahere originem à mari; quemadmodum fluuij, alijq.

aliijq. fontes trahuunt, & currunt tam in media, & ſicca ęſtate, quam in cœteris anni temperibus: At cũ huiuſmodi fons in ęſtate media, & in ſicca pręcipuè non fluat, potius ex terrę cuniculis ducere originem exiſtimarem, vt docuit philoſophus, mediantibus tamen hybernis pluuijs in illam conuallem ex altis, & temporaneis ductibus, qui circiter ſunt aggregatis, quam ex mari ortum ducere.

Statuendum igitur opinor, Aquam iſtius fontis crudam omninò eſſe, cum ex glacie, niue, & hybernis imbribus ſit genita, & ducat principium; Imbrium aquarum qualis ſit qualitas, atque natura, expreſſa eſt Hipp. ſententia lib. deſuper citato, *frigidas et crudas omnino eſſe*: qua de cauſa iſtius fontis aquæ, non ſunt ita bonę qualitatis, vt ſunt alij fontes ſuperius enumerati, & quod deniq; aqua iſta ſit cruda eſt expreſſa Andreę Bacci ſententia in ſuo illo de Termis tractatu: Ideo multum errant illi, qui Tyburi medicinam facientes & hãc aquam ęgrotis crudã propinant, & hęc breuiter adnotare volui.

De

De Aqua Ferrata. Cap. XI.

NOn ſolum medico optimarum aquarum eſt vis conſideranda; verum etiam aliarum aquarum vſus, prout humano corpori idoneus, vel inutilis ſit, ideo meum etiam eſt, aliquid de cęteris huius regionis aquis; quę non ſunt ita potui idoneę recenſere. Oriuntur pariter in Tyburtino ſolo, & Sulphureę, & Acetoſae, & Ferreę, & alterius ſaporis, & qualitatis aquę, quarum vires veniunt conſiderandę in pręſentiarum. Enim vero ſcire eſt, illi aquae, quam vocant noſtrates (la Ferrata) ratione loci, nomen illi forſitan impoſitum fuiſſe à ſapore, quem ferri credunt eſſe: decepti tamen ſunt non ob aliam cauſã, quia ſic ille locus, vti pariter & aqua appellatur. Sed longè erronea eſt iſtamet denominatio, quo ad obſeruare potui; vt ex infra dicendis quiſq. colligere ſanè poterit.

Animaduertendũ in primis eſt, aquas, quas optimas ad potum eſſe Hipp. exiſtima-

ſtimauit, illas dulces, & albas eſſe: & quare hæ duæ qualitates requirantur, ab eodem diffuſe ibi probatur. Ideo cum iſta Ferrea aqua non ſit dulcis, optima, non erit, etiam ſi ſit alba.

Malæ quoq. ſunt aquę, quæ è terra ſcatent, referentes naturam, & ſaporem Ferri, vel Aerijs, Argēti, Auri, Sulphuris, Vitri, Aluminis, vel Bituminis, quæ ideo ab Hipp. malæ habentur, quoniam, omnia iſta metallica vi caloris fiunt, quamobrem è tali terra aquæ bonæ nō erumpunt, ſed duræ, & aeſtuoſae.

His igitur poſitis, affirmare eſt iſtam aquam non ferri mineram habere; ſed ſulphuris potius, cum aliqua admixtione aluminis, vt ex ipſius qualitatibus videre eſt, pariter etiam ex effectibus, *cum cauſæ ex effectibus innoteſcant.* ſecundum Philoſophos, & Medicos, cum videantur lapides, qui in hac aqua ſunt ad rubedinem vergere, & hanc acquirere, ſi diutius in aqua morentur. Rubedo enim non inducitur niſi à calore, vt clarè apparet in lapidibus igne decoctis: Sed cū Sulphur, & Alumen ſint mixta ambo calida;

lida, sunt in causa, quod isti lapides ibi reperti sint aliqualis rubedinis; quod nõ ita esset si minera istius aquæ esset Ferrea.

Sed ex effectu melius rerum natura innotescit. Potãti enim huiusmodi aquã statim haec aluum soluit lotiumq. mouet, Ferrum deniq. vel vt melius loquar, Aqua Ferrata potius astringendi, quam secus est facultatis; vt optimè norũt medicinæ periti, & vsus quotidianus demonstrauit. Odor enim, & gustus huius aquæ Sulphuris naturam redolet; vt ex longa experiẽtia, dum Tyburi essem, obseruaui, Ideo non esse potui quotidiano idoneam statuo; præcipue si ad longum tempus potaretur. Quamuis non desinant, qui illam bibant, & illi præsertim, qui agros, & possessiones propè, vel circiter colũt, & nullam noxam illis infert, præter qualitates supra enumeratas, aluum ciere, lotiumque mouere apparet, quod etiam omnis aqua sulphurea prę-stare solet, vt inferius in sequenti capite videbimus expresse. Hęc igitur de qualitatibus, sapore, vtilitate Aquæ Ferratæ

nun-

nuncupatæ dicere volui. Sed ex ortu istius aquæ vlterius colligere sat vnusquisq. potest, non esse potui idoneam, si perpetuo illam homines potarent, cum ad meridiem oriatur: aquas enim illas Hipp. quae ad hanc Solis posituram ortum ducunt, *malas esse* dixit in lib. de Aquis,&c. solet vlterius eodem libro illas aquas vocare, quæ saporem aliquem, metallicum habēt, *indomitas*, præter quã quod difficulter concoquantur, & præcordia tarde pertranseant; quamuis ipse Hipp. dum inquit (*salsas indomitasq.*) eas vocãdas salsas, omnem saporem, qui in aquis esse possit, significare voluerit.

Atque ideo hanc aquam Ferratam non conuenire censeo vti potum, sed vti medicamentum hominibus, ob rationes superius allatas, cum Lotium, Aluumq. mouere, ventirculum corroborare apta sit: hęc volui dixisse.

De

De Aqua Sulphurea, seu Albula. *Cap. XII.*

Qui sanus est, ac bene valens, quamcumq. aquam bibere debet Hipp. lib. de Aquis, &c. dũmodo nõ ea paluſtris, lacuſtris, medicamentoſa, nec graue olens ſit, quod etiam Cornelij Celſi placitum fuit non ſolũ de aquę vſu, verum etiam de cœteris omnibus rebus, quæ ſanitati tuendæ idoneæ ſunt, (cum inquit) *ſanus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, neque medico, neque iatralipta*; non medico, quia opus medici eſt ſanitatem reſtituere, & conſeruare Iatraliptæ vero bonum colorem, & vires inducere, ac rationem habere, vt perbelle etiam Cicero lib. 1. Epiſt. familiarium Epiſt. 9. dicebat.

Colligitur itaque ex Hipp. verbis ſupra citatis *aquas paluſtres non eſſe potui idoneas*, ideo illas pręteribo, etiam ſi per paucæ in Tyburtino ſolo ſint. Sed vnam non relinquam intactam dubitationem,

de

de aqua ſcilicet Sulphurea; quæ quamuis, & ipſa lacuſtris ſit, non eſt ad bibendum in menſam afferenda; ſed multas alias vtilitates corporibus affert: idcirco illius vires, & qualitates, quo ad potero examinabo.

Et in primis, ortus iſtius aquæ in planitie eſt, tria ab Vrbe Tyburtina milliaria diſtans, vti proficiſcentibus Tyburi perſpicuum eſt; cum per viam, qua Romam itur, hæc aqua permeet. Locus in quo naſcitur ad meridiem eſt expoſitus in formam Lacus; quamuis in illa Campanea, hinc inde varij iſtius aquæ Riuuli pullulent; maior tamen copia & quantitas eſt illa, quæ è Lacu ſcatet.

Non defuerunt inter antiquos, qui de huiuſmodi aqua memoriam poſteris tradiderunt, vt ſatis dilucidè Vitruuius hiſce verbis ſcribit, *ſunt etiam odore & ſapore non bono frigidi fontes, qui ab inferioribus locis penitus orti per loca ardentia tranſeunt, & ab eo loco per longum ſpatiũ terræ percurrentes refrigerati perueniunt ſupra terrã, ſapore, coloreque corrupto, vt in Tyburtina via, Albula, & in*

Adea-

Adeatino fontes frigidi, odore qui ſulfurati dicuntur: & Pauſanias Auctor reconditarum rerum indagator ſolertiſſimus hoc de Tyburtinis Albulis dictum protulit; *Iuxta Vrbem Romam Anienem transmittentibus flumen, Albi latices reperiuntur, qui primo ſtatim in eius ingreſſu, adeo gelidi, rigenteſq. ſunt, vt frigus, rigoremq. non mediocrem cauſent, manentes autem in illis paulum, perduranteſq. adeo calefaciunt, ac ſi ex pharmacis igneũ quippiam excalefactorium ebibiſſent.* Nõ paruæ igitur admirationis ei fuit iſta Albularum aqua, atque adeo ſtatim ſubnectit *hos albularum fontes* cum ex omnibus, quos ei videre contigerat, maximè digni admiratione viſi fuerant: Verum eorum naturã non ſubtacuit quoq. Strabo, *in hac* (ait) *Planitie Anio fluit, & quas nuncupãt Albulas aquas frigidas multis ex fontibus exeuntes, varios ad morbos ſalutares, cum potu tam incentionibus admiſſas.* Martialis etiam eaſdem ſuis carminibus celebrat.

Itur ad Herculei gelidas qua Tyburis arces.

Canaq. sulphureis Albula fumat aquis.
Vnde *illas* Plinius *Iuxta Romam decurrentes prægelidas vulneribus esse medentes*, dixit. Minera Sulphuris est, necnon etiam aliquid Bituminis habet, semper calet, potius medicamentosa esse poterit quam potui idonea; cum expers sit illarum qualitatũ, quas supra de Aquis, quæ in potum vti Alimentum veniunt narraui; cum potius aduersissimam habet naturam, cum sit gustui in pura, sulphurea, vsu atque aspectu sit albula, odoratu denique qualitatem sulphuris prę se ferat; sed vnum obseruandum est. Quod fumus qui exhalat ab ista aqua, indicat substantiam terrestrem in ea contineri valde ignibilem. Fœtor vero, indicat ipsam esse valde indigestam, & non terminatam; sed potius calore corrumpente, esse corruptam, & digestione completã, & hæc est quoq. causa, quod sulphur sit vniuersalis materia omnium metallorũ: est autem calidum, & siccum, ad quartum fere perueniens gradum, vt ex Auicenna, & Dioscor. colligitur. Propter has igitur qualitates erit è mensa delenda

hæc

hæc sulphurea aqua, etiam si multis mor bis depellendis sit idonea, vt ex Antiquis Balneorum vestigijs, ac monumentis, quæ propè ortum ipsius aquæ hodie videntur, colligere possumus; quod est signum manifestissimum Antiquis temporibus hanc aquam ad varios depellendos morbos vsui fuisse, etiã si hodie huiusmodi lauandi vsus sit abolitus, cum illa careant commoditate, quæ vsui esset opportuna, vt homines commodè lauare se possent: attamen vsum istarum aquarum ad varias ægritudines optimum esse adnotaui, expertusq. etiam atque etiam fui. Sed præcipuè ad omne genus Scabiei, & Elefantiasis, vt in quodam iuuene Romano contigit hoc morbo laborante, qui cum in istam aquam sæpe sæpius se lauasset, sanus ab illo rebelli morbo euasit, & hoc fuit factum meo consilio. Quamuis sit quoque expressa Gal. sententia lib. 1. de simpl. Medic. facul. *Vlceribus idoneas esse, & illis quoq. qui fluxionibus tentatur.* testatusq. est primo de sanit. tuend. immo 4. de Pulsium præsag. *Loturam istius aquæ hydropicis optimam*
 esse,

esse, vt ex Matthioli sent. lib. 5. cap. 14. colligitur. *Sulphureas omnes excalefacere & siccare voluit, immo efficaciter illa neruos emolliunt, ac proinde resolutis, conuulsis, tremulis stupidis contractis, peridonea inueniuntur*: eædem compaginum tumores discutiunt, & dolores mitigant, nam ubi quispiam coxendicum dolore, aut Podagra, vel Chiraga vexatur, Sulphureosæ aquæ Balneo magnopere iuuatur. Præstant etiam ad iecineris, Lienis, ac vteri dolores, atq. tumores: in ijs genitos, mirifice, resoluunt; ventriculum laxant. non est ab re ergo has optimas qualitates hanc quoq. aquam habere; cum videamus multas aquas in varijs Italiæ locis esse commendatas pro diuersis ægritudinibus salutares, quæ vel Sulphuris, vel Aluminis, vel Ferri, vel Nitri, atque alterius mineralis naturam, & qualitatem referant. Cuiusmodi sunt illæ quæ scatent propè ciuitatem Viterbij, & in Castro Sancti Casciani, ac in Senarum Ducatu, quæ ad varios affectus atq. morbos fugandos sunt per idoneæ; cum in sua minerali origine, atque ortu, alijsque

que habeant annexum Sulphur atq. Alumen, vt optime illarum vires ponderaui, atq. indagaui, cum ad iſta Balnea, pro curatione Illuſt. Equitis Rom. accerſiſſem.

Albulæ præterea interprete Galen. 8. Meth. dicuntur aquæ Aluminoſæ, cutem lauantes, mirum in modum aſtringẽtes, & vlceribus medentes; cuiuſmodi Strabo, *non paucas eſſe in Agro Tyrburtino* dixit, & eſt illud etiam. Virg. 7. Aenead.

Lucoſoſq. ſub alta
Conſulit, Albunea nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat, ſæuamq. exhalat opaca Mephitis.

At notandũ eſt quod Mephitis, eſſe quid maximi odoris, hoc. n. perbelle adnotauit Virgil. cũ maximus percipiatur naribus odor harũ aquarum, cum aliquis propè illas ſeſe conferat; vti quotidianus vſus teſtificat illis qui illuc pertranſeunt.

Non erit igitur præter rationem, ſi Aqua Tyburtina Sulphurea, ſeu Albula ad varios morbos, multaſq. ægritudines, depopulandas ipſa quoq. apta, idoneaq. ac ſaluteris eſſe poſſit; cum iſtius aquæ

Minera maior sulphuris sit pars, cum aliqua vero admixtione aluminis, vti dicebatur superius. O vtinam profecto in animum Tyburtinorum caderet, hæc Balnea resarcire; quod valde clarum esset quanta in dies vtilitas corporibus neutris, ex ipsamet aqua suscitaretur, & hæc obiter dixi, cum non desinant scriptores qui de hac Aquarum Termalium re, cumulatius scripserint.

Qualis autem fuerit præcipua causa, quod Aqua Tyberis, super omnes alias aquas, vti saluberrima laudetur à Petronio, contra quam opinionem, inuehit Colutius de Aqua Tyberina & Mercurialis in sua praxi, & Cardanus lib. de Prouidentia ex anni constitutione; quoniam his rationibus erat ductus, vtputa Primo dicunt aquam Tyberis difficulter putrescere, Secundo claram esse, tertio in Tyberim Metallicas aquas ingredi, quæ aquam tenuiorem, ac salubriorem faciunt; immo ab eodem Colutio multæ aliæ afferuntur rationes solutæ, quas si referre vellem, magnam suscepissem prouinciam, & à meo instituto ab errassem,

sem, cum de Tyburtinis Aquis, & Aere dicere proposuerim non de aliorum locorum aquis; Hæc igitur disputatio, alterius erit loci, ac interim curiosius videas citatos Auctores.

Hoc vnum tantum cum doctissimis viris affirmare liceat, totam illam bonitatem, quam aqua Tyberis habet, habere ab Aquis Tyburtinis, primum ab Aniene, demum ab Aqua sulphurea, quæ est tanquam anima (metaphoricæ loquendo) Aquæ Tyberis, cum si ista non esset, pessimas in se qualitates haberet, quippe multas palustres, & cœnosas, atque lutulẽtas aquas Tyberis Alueus recipiat: Quæ omnes in causa essent, vt pessimæ, ac prauissimę qualitatis essent, si ab aqua sulphurea non rectificarentur.

Ciuitas itaq. mea Tyburtina, multis à natura dotibus est exornata, cum non solum optimum Cœlum, & Amenissimum situm habeat; Sed non desunt etiã tum Boreales flatus, tum Fauonij spiritus, ad illam expurgandam. Si quid mali, ex Stellarum cursu inesset; oleiq. cęterarumq. rerũ victui necessariarum, in su-

premam Bonitatem est fœcundissima, & quemadmodum non defuit in esculētis, ita etiam manca nunquam fuit in potulentis natura; cum optimas aquas in isto solo hauriri fecerit, & aliquas etiam quę ad expellendos morbos vtiles apprimè essent, quemadmodum est hæc Sulphurea, & vt summatim dicam Aqua omnis Mineralis eandem facultatem habet, quam habet illud, quod admiscetur. & hęc pauca de Aqua Sulphurea volui attulisse, cum multi multa exarauerint.

De Pluuialibus Aquis. Cap. XIII.

VT nil intactum à me relinquatur in hoc tractatu, iure merito, de caeteris aquis, quas Tyburtes præcipue potant, erit aliquid dicendum, scilicet de Aqua Pluuia cum hanc aquam quoque multi ex nostris potent. Cum fere omnes domus suas habeant Cisternas, vt aquae quę è nubibus descendunt recondantur, quas deniq. ex illis locis ad potandum hauriunt, nulla adhibita cura, & diligentia inter bibendum.

De

De Pluuialium bonitate controuersiam non inuenio apud Medicos, cum Hipp. *omnium aliarum aquarum præstantissimam, leuissimam, dulcissimam, tenuissimam, ac demum splendidissimam pluuialem esse existimauerit*. in lib. de Aquis, &c. Sed illa nimirum, quę æstate media, silente Cœlo pluuit, alia vero, quæ eodem tempore, cum tonitruis descēdit, *tonitruosam* propriè appellauit, & non omninò optimam, sicuti etiam & illa quæ maxima aeris, ac vētorum procella terrifico tonitruum fulgurum, & grandinis impetu velociter concitatis nubibus è Cœlo dimittitur, vt optimè à Gal. *6*. Epid. in humanæ vitæ vsum non fuit habita: Sed porro aqua Cisternarū non tot sanè laudibus commendanda videtur: licet à multis medicis laudetur; cum non solum noxia sit, cum miscela quædam sit multarum, diuersarumque aquarum, quæ in diuersis anni temporibus inibi ex pluuia colligitur, tum ex glacie, necnon etiam ex niuibus hyemali tempore in tectis colliquatis. Immo sunt vlterius malæ, quia aquæ omnes sta-

tio-

tionariæ putrefactioni facilè redduntur obnoxiæ, quo fit, vt aqua in Cisternis collecta (si rem rectè examinemus) purè, & sincerè pluuiali minimè sit comparanda, ergo non bona, saltem respectiuè videtur, ac propterea statuendum censeo, aquam, quam Tyburtes ex cisternis ad potandum hauriunt, esse potius malã, quam bonam, ex dictis supra, cum istę aquę in istis cisternis ex qualibet pluuia, in quolibet Cœli statu coaceruentur; non solum ex imbribus, verum etiam ex glacie, grandine, & in quauis coeli positura. Aquę enim istę, quas noxas afferant, satis expressa est Hipp. doctrina, verum etiam Gal. cum concoctionem impediant, vrinam cohibeant, laterum dolores flatusq. generent, & multa alia denique incommoda faciant, quae breuitatis studio pręteribo. Et nulla alia de causa hoc euenit, nisi quod in glaciem, vel niuem cõcreuit omne, quod tenue inhereuerat: Ideo istius aquę vsus non erit simpliciter bonus, nisi optimam in recipiendo hanc pluuialem aquam diligentiam, atque studium adhibeant, & illę

aquę,

aquę, quæ ex tonitruis, & procellosis proueniunt temporibus, in cisternis non recondantur, neque etiam illę quæ ex niue, glacieq. coaceruantur; sed tantum illa est recolligenda, quę silente Coelo, & aestate media descendit, ac saltem illa, quae sine tonitruis, glacie, niueq. descendit, atque adeo optima erit aqua cisternarum, vt notabat Hipp. lib. de vulneribus circa finem, asserens *Pluuiales aquas leuissimas tenuuissimas, limpidissimas, dilucidissimasq. esse, &c.* alioquin omnes illos affectus bibentibus afferet, quos supra narraui, & longe plures, quamuis in cisternis Tyburtinis, in quauis Coeli statione, & nulla adhibita cura, & diligentia, recondatur, nil noxium videatur afferre bibentibus, ob nullam aliam rationem credo, nisi quia temperatus semper in quolibet anni tempore Aer istius Ciuitatis est, vt demonstratum.

Haec pauca de Aqua Cisternarum dicere volui, vt cumulatior hic breuis tractatus foret, quamuis multa plura dicere circa id possem; sed cum de Aquis proprie, & simpliciter scribere non propo-

posue-

posuerim, Sed de illis quatenus ad bonum Aerem conducant, si bonae, vel malae in illo aere nascantur, ac ab habitatoribus illius loci potentur: volui significare.

De Lapide Tyburtino, & Bellarijs. Cap. XIV.

PRaetereundum sedulo non videtur, aliquid dicere; de Tyburtina Lapidicina, & in calce huius tractatus, adnotare; quae, & si nil ad salubritatem aeris conducat, tamen cum in Solo Tyburtino nascatur, & effodiatur pauca dicam. Lapis enim Tyburtinus, non solum Antiquis, vt ait Plinius; sed etiam nostris temporibus in vsu fuit, vt testimonium praebent Mirabilia, & pulcherrima Romanorum Lauacra, superbissima Palatia, solidissima Amphiteatra, Lapide Tyburtino constructa, Splendididissimum quoque nouae Vrbis in Vaticano Templum atque Palatium, tantum visentibus confert stuporem, vt aliarum Ciuitatum possit miracula superare, & demum nihil est in antiqua, & noua Roma pulchre constru-

ctum, quod non ſit, ex iſto lapide expolitum exornatumq.

Haec igitur Lapidicina eſt in amoeniſſima planitie, & parum ab Aqua ſulphurea diſtate. De ortu, & generatione lapidis eſſet mihi aliquid dicendum, at cũ non ſit huius loci, ideo miſſa haec faciã, & aliquid etiam eſſet dicendum, de origine Bellariorum Tyburtinorum (vulgo confetti di Tiuoli) generantur enim in eadem planitie, ex aqua ſulphurea; quae vi ſolis, in media aeſtate, ex Aqua illa ſulphurea, quae per planitiem illam ſerpit, efficiuntur, non ſine magna admiratione, & noſtrae Ciuitatis ſplendore. Nam ſicuti natura in coeteris rebus, victui neceſſarijs abundantiſſima eſt in hac patria, ita etiam & in iſtis Bellarijs, cum ex Zaccharo efficere minimè poſſet ex iſta materia modum efficiendi adinuenit, vt nihil in iſta ciuitate deeſſe, deſiderariq. videretur, quae in lautis coenis expetere ſolent Delitioſi.

Et haec de Vinis, Aquis, Aere Tyburtino coeteriſque rebus in iſto aere naſcentibus: pro viribus meis dicta

ſint

ſint ſatis ſpinoſiora, ad laudem Dei Beataeq. Virginis eius Matris Mariae, & ſanctorum noſtrorum conciuium.

FINIS.



Candidus Lector sic errata corriget.

Parua quædam errata consulto ommissa sunt, in quibus Lector decipi non potest uti cum littera pro littera posita est sic quoque interpunctorum, & accentuum neglreximus emendationem, quæ vero visa sũt nobis necessaria recoluntur.

Pagina 6. versiculo 7. lege videar. p. 7. v. 8. l. me proposuisse. p. 8. v. 20. l. dimensionis. p. 10. v. 5. l. rapitur. p. 11. v. 24. l. deferuntur. p. 12. v. 7. l. spirare. ibid. v. 9. l. constet. p. 12. v. 22. l. etiam. p. 21. v. 20. l. Zephyri. p. 22. v. 8. l. nullo. p. 23. v. 10. l. sint. p. 26. v. 11. l. nobis. p. 34. v. 10. adde non. p. 37. v. 3. l. nulli alij Ciuitati est hæc secunda. p. 40. v. 4. l. in bellarijs. p. 58. v. 1. l. Nam. p. 64. 2. 18. l. re. p. 68. v. 19. l. viderentur. ibid. v. 21. l. altera aqua. p. 71. v. 12. l. sol moderari. ibid. v. 13. l. ille violentus motus. p. 73. v. 23. l. potationibus. p. 79. v. 11. l. quam alterum saporem. ibid. v. 15. l. quam. p. 91. v. 17. l. nisi quia. p. 92. v. 8. l. Aëris. p. 98. v. 12. l. visu. ibid. v. 20. l. indigestione. p. 97. 23. l. incensionibus. p. 101. v. 16. l. est. ibid. v. 20. l. testificatur.